This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 887,469


1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE


1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



SCRIPTORES RERVM BOHEMICARVM

E BIBLIOTHECA ECCLESIAE METROPOLITANAE PRAGENSIS.

TOMVS II.

1052 - 1252

SCRIPTORVM RERVM BOHEMICARVM

TOMVS II.

FRANCISCI CHRONICON PRAGENSE.

ITEM

BENESSII DE WEITMIL CHRONICON ECCLESIAE PRAGENSIS.

ACCEDVNT

I. SERIES DVCVM ET REGVM BOHEMIAE. II. SERIES EPISCOPORVM ET ARCHIEPISCOPORVM PRAGENSIVM. III. CHRONICON BOHEMICVM CVM VERSIONE LATINA.

PRAGAE, MDCCLXXXIV.

DP
193
.S43
v.2

PRAEFATIO.

Tomus hic ſecundus, quem volente Reuerendiſſimo, Illuſtriſſimo, Excellentiſſimo, ſemperque fideli Capitulo Metropolitanae Eccleſiae Pragenſis euulgamus, Franciſci, Canonici Pragenſis, ſecundam partem Chronicae Pragenſis, ac Beneſſii de Weitmil, Canonici Pragenſis, Chronicam Eccleſiae Pragenſis ſic dictam, quatuor libris comprehenſam, complectitur. His ſubiunximus duplicem ſeriem, alteram Ducum et Regum Bohemiae, Epiſcoporum et Archiepiſcoporum Metropolitanae Eccleſiae Pragenſis alteram. Breues quoque notationes chronologicas, Anonymi cuiusdam, lingua bohemica conſcriptas. De ſingulis iam plenius diſſerendum eſt.

I.

De Franciſco eiusque Chronico.

Plurimas de Franciſco memorias Crugerius, in ſacris pulueribus Bohemiae ad III. Martii, congeſſerat. Quas quidem, quamuis in iis reprehendenda ſint non-

nulla, dignas cenſemus, vt hic, loco vtique ſuo, repetantur. "Anno Domini 1362. obiit Franciſcus, ait "Crugerius, patria Pragenſis ad D. Viti Metropolita-"nae Eccleſiae annos fortaſſe XXX. Canonicus, ac vl-"timo etiam eiusdem Eccleſiae Praepoſitus. Vir fuit "eximiae plane pietatis, ac eiusdem in ſua gente pro-"mouendae dexteritatis: Vnde Erneſto primo Archi-"epiſcopo ita fecit ſatis, vt eidem in ſacris vices ſuas "committere non grauaretur. Extant hodieque, quam-"vis ſub nomine praedicti ſanctiſſimi Archiantiſtitis, hu-"ius ipſius Franciſci complures ſynodales ſanctiones, "e quibus praecipue colligas zelum eiusdem, quo in "Clericos ad illibatam caſtimoniae famam reducendos "ferebatur. Ore vſque adeo pollentem Praelatum, ſty-"lus inſuper hiſtoricus vehementer commendauit. Hic "eſt ille quippe hiſtoricus, quem communiter Franciſ-"cum Pragenſem Lupacius Weleslauinusque in ſuis pa-"triae ephemeribus nominant; cuius erudita manu niſi "ſingularia patriae noſtrae monimenta, ſub Iohanne "Rege, et Carolo Caeſare, adnotata fuiſſent, vix quo "ſuas Chronicas Dubrauius, ac Hagecus exornarent, "habuiſſent. Vidi MS. iſtiusmodi in Bibliotheca Me-"tropolitana, in membrana foliali, quod etſi mutilum "parte dimidia eſſet, ita tamen perplacuit mihi, ob "multa reſidua ab inſinuatis hiſtoricis neglecta, vt iuris "publici id fieri operoſe exoptarem. Et fuiſſet, cum "Marquardus Freherus ſub A. 1608 (lege 1607.) reli-"quos gentis noſtrae veteres Authores Hanouiae typis "illuſtraret, ſi ſcilicet hunc nobiliſſimum ſcriptorem "homini extero, nullis noſtris impenſis, ſuggeſſiſſemus.

Bar-

"Bartholdus enimuero Pontanus ibidem Eccleſiae Prae-
"poſitus, qui huiuscemodi monumentis eruendis ac
"typo etiam mandandis ſeculo noſtro delectabatur,
"potuiſſet equidem de patria pietate ſubinde egregie
"mereri, ſi hunc vna cum ſua, aut etiam prae ſua Bo-
"hemia pia edidiſſet. Sed partus quique, quales quales,
"ſuos tamen lambunt, etiam meliores negligunt, quia
"alienos. Dabit Deus fortaſſe hanc olim alicui e patriae
"hominibus mentem, vt poſtquam Franciſcus corpore
"in pulueres haud dubie abiit intra CCC. annos, eius-
"dem nihilominus labor cuiuscunque oculis digniſſimus
"e pulueribus in lucem publicam eruatur.„ Singula a Crugerio expoſita accuratius examinemus, vt lectoribus conſtet, quae ceu vera retinenda, quae item vt falſa, reiicienda ſint.

Annum 1362. diemque III. Martii, quibus obiiſſe Franciſcum affirmat Crugerius, calculis etiam ſuis Peſſina in Phoſphoro p. 606. Balbinus in Bohemia docta p. 42. Berghauerus in Protomartyre poenitentiae p. 139. probarunt. Patria Pragenſem fuiſſe, ex eo conieciſſe videtur Crugerius, quod eum Pragenſem Canonicum, aut Chronici Pragenſis Auctorem dici comperiſſet. Vixiſſe Franciſcum in Collegio Canonicorum ad Metropolitanam Eccleſiam S. Viti XXX. facile annos, ex ipſius Chronico edocemur. Nam libri III. Capite II., quo grauiſſimam inter Clerum Eccleſiaſticum et Fratres Minores, Praedicatores, Auguſtinenſes, de quarta funeralium parte contentionem, in vigilia S. Iacobi anno 1333. ſeu, vt habet Beneſſius, an. 1334. exortam, deſcribit, quaedam de ſe ſibique delato Oratoris

ſacri numere commemorat. *Conſueuerant autem*, ait Franciſcus, *praefati Religioſi diebus Dominicis in Eccleſia Pragenſi ad populum facere ſermonem, quos Venerabilis in Chriſto Pater, Dominus Iohannes IIII. Pragenſis Epiſcopus XXVII. amplius hunc faciendum non admiſit. Commiſit autem ibidem officium praedicationis ſuo Capellano et Poenitentiario Franciſco, quondam Rectori ſcholae in Wiſſegrado, qui ob reuerentiam et mandatum ipſius ſcripſit hanc ſecundam partem Cronicae Pragenſis.* Eadem fere repetit Neplacho, eiusdem ſeculi ſcriptor, in Epitome ſua, a Cl. Dobnero Tom. IV. Mon. Hiſt. edita. *Ab illo*, inquit, *tempore etiam, quia multa mala in Praga fecerunt* (Religioſi praedicti), *nam conuenerunt diebus Dominicis in Eccleſia Prabenſi S. Viti ad populum facere ſermones: conſtituit V. P. D. Iohannes Epiſcopus Pragenſis Capellanum et Poenitentiarium ſuum, quondam Rectorem ſcholae in Wiſſebrad, Franciſcum Canonicum Prabenſem, virum diuinis et humanis rebus perpolitiſſimum, qui deinceps verbum Dei populo ſeminaret, et iſte Franciſcus compoſuit Chronicam Prabenſem.* Ex ipſius igitur Franciſci, Neplachonisque ſynchroni, verbis intelligimus, eum iam ante annum 1333. Rectorem ſcholae Wiſſehradenſis, ac circa hoc tempus Capellanum et Poenitentiarium Iohannis IIII. Epiſcopi Pragenſis fuiſſe; cumque Neplacho Canonicum Pragenſem appellet, licebit ſumere, Franciſcum iam eo tempore Canonicorum Collegio adſcriptum fuiſſe, quo Concionator ad Eccleſiam S. Viti ab Epiſcopo ſuo conſtitutus fuerat. Quae ſi ad calculum voces, tenebis XXX. annos. Etiam Wiſſehradenſis Eccleſiae Canonicum fuiſſe,

vt

vt vult Berghauerus, cum Rector ſcholae quondam ibidem fuerit, non eſt improbabile.

Praepoſiti tandem dignitate exornatum fuiſſe Franciſcum, recte Crugerius dixiſſe videtur. Nam et Peſſina et Berghauerus, in ſerie Praepoſitorum Eccleſiae Pragenſis, ei locum poſt Zdislaum Sternbergium concedunt. Illud vero minus recte fortaſſis, eum Vicarii in ſpiritualibus officio ſub Arneſto Archiepiſcopo defunctum, atque ab eo ſtatuta ſynodalia eſſe compoſita. Hoc enim praeter Veterum fidem auctoritatemque aſſeruit Crugerius; etenim in ea ſerie Vicariorum Generalium, quam e vetuſtiſſimis Bibliothecae Metropolitanae monumentis ſumma diligentia texuit Berghauerus (l. c. p. 405.), deſideratur.

Scripſit Franciſcus Chronicon ſuum, cui titulum ſecundae Partis Chronicae Pragenſis indidit, (nam Coſmas eiusque Continuatores duo, Canonici Pragenſes, primam partem conſtituunt), circa annum MCCCXLI. iuſſu Iohannis IIII. Epiſcopi Pragenſis XXVII., cui illud inſcripſerat. *Mandatis Veſtrae Reuerendae Paternitatis*, ita Franciſcus in dedicationis epiſtola libro primo praemiſſa, quam Prologum vocat, *toto cordis affectu cupiens obedire, vitam, ſtatus, acta et mores Regum Boemorum et Epiſcoporum, ac aliorum Principum Boemiae, et veſtra praecipue acta et opera ſalutifera, admiratione digna, quae nullus fecit Anteceſſorum veſtrorum, ſcriptis ſtudioſius volo declarare, hoc opus ſubiiciens et committens veſtrae correctioni.* Et ad finem Prologi: *Hic autem tractatus eſt compilatus ac Venerabili Patri et Domino, Domino Iohanni IIII. Pragenſi Epiſcopo XXVII. praeſentatus*

anno Domini Milleſimo CCCXL primo, anno vero ordinationis ſuae XL. Finem vero toti operi impoſuit hiſce: *Explicit tertius liber ſecundae partis Cronicae Pragenſis, ſcriptus ad Venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum Iohannem, Epiſcopum Pragenſem memoratum, qui finitur anno Domini MCCCXLII. et continet in ſe geſta X. annorum.*

Tractatum hunc ſuum in tres libros, quorum ſinguli in capita diuiſi ſunt, diſpeſcuit, ſecutus in eo praeſtantiſſimum Aulae regiae Chronicon, cuius ille auctoritatem tanti fecit, vt eius plerumque verba retinere, quam ſuis easdem res deſcribere maluerit. Nam librum II. Franciſci ſi conferas cum II. parte Chronici Aulae Regiae, quam Freherus Scriptoribus rerum Bohemicarum antiquis inſeruit, certiſſime cognoſces, ea ſolum re illum ab hac differre, quod XXXIIII. Capita a Franciſco in XXIV. contracta ſint, ſeruatis fere Capitum inſcriptionibus, omiſſis vero literis ad Abbates Auloregenſes datis, aliisque rebus Monaſterium iſtud tangentibus, carminibus quoque, quibus omnia tument, nonnullis reſectis, inſperſis deinde cumulatius memoriis Iohannis IIII. Epiſcopi Pragenſis. Primum et tertium librum cum Aulae Regiae Chronico conferre nondum licuit; licebit autem proxime. Integrum enim a Cl. Dobnero iam praelo commiſſum eſt. Etiam e Continuatione ſecunda Coſmae ab an. MCCLXV. aliqua, retentis fere iisdem verbis, depromſit Franciſcus. Ex quibus et illud cognoſcimus, eum, negotiis arduis grauibusque occupationibus diſtrictum fortaſſis, non potuiſſe per plurium annorum decurſum adnotare ſingula,

gula, quae gesta sunt, sed alieno labore, vt saltem sic voluntati Episcopi sui satisfaceret, vti maluisse, quam tumultuarie quaeque congerere et opus deproperare. Chronologiam initio libri neglexit, quia haec, quae primis duobus capitibus breuiter enarrauit, iam ab aliis diligentius tractata nouerat. Capite III. annum MCCLXV. inchoauit, progressusque est primo libro vsque ad annum MCCCXVI. Secundi libri fine iam annum MCCCXXXIII. attigit, quem, vti et sequentes, vsque ad MCCCXLII. tertio libro complexus est. Illud mirum, quod ipse Franciscus numerum annorum, quibus Chronici sui narrationes continentur, haud accurate definierit. Nam is in praeuiis notationibus chronologicis sic habet: *Notandum, quod ista pars Cronicae continet plus, quam LX. annos, a Rege Wencezslao monoculo incipiendo vsque ad Regem Iohannem Boemiae.* Enimuero si vel a morte Wenceslai Monoculi, quam anno MCCLIII. subiit, colligantur anni, XC. annorum interuallum continebit. Rursus ad libri secundi finem ait: *Explicit secundus liber etc. et in se continet gesta X. annorum.* Cum autem ab anno MCCCXVII. ad annum MCCCXXXIII. excurrat hic liber, manifestum est, eum XVI. annorum decursu absolui. Sed mittamus ista, quia leuia, et videamus, quem vsum Franciscí labor Historicis nostris praestiterit.

Franciscí primus meminit Neplacho, Abbas Opatouicensis Monasterii Ordinis S. Benedicti, nec dubium est, hunc ex illius Chronico transtulisse quaedam in suam Epitomen. At, quod mireris, in Catalogo Auctorum, quibus Haiekus in adornandis Annalibus

Boe-

Boemiae vſus eſt, non legitur; quamquam iudicarit Crugerius, ex eo Haiekum Dubrauiumque haurire debuiſſe. Sed enim Haieko Chronicon Aulae Regiae praeſto fuit, carere itaque, etiamſi ei in manus veniſſet, Franciſci opere potuit. Lupacius vero ac Weleslauinus, in Calendariis ſuis hiſtoricis, frequenter Franciſci MS. latinum nominant, amplius eum laudarunt Peſſina et Balbinus, quique poſt eos ſcripſerunt, omnes. At Lupacii Weleslauinique Franciſcus longe vltra annum MCCCXLII. excurrit. Nam ea loca cum inſpiceremus, quae ab iis citantur, illud reperimus, quod vterque tali exemplari vſus ſit, quo non ſolum Franciſcus, verum etiam Beneſſius, continebantur. Quos ſi non integros, certe in compendium redactos habuerunt. Confer, ſi placet, in Lupacii ephemeride 17. Ianuarii, 4. et 21. Martii, 1. Auguſti, 7. Octobris, 5. Nouembris, et in Weleslauini Calendario p. 187. 196. 206. 213. 297. 380. 440. 555., cum Franciſci et Beneſſii Chronicis; nihil certe in illo, omnia in hoc adnotata inuenies. Qui vero iſtud? Facilis eſt coniectura. Vtriusque enim, Franciſci et Beneſſii opus, titulum Chronicae Pragenſis praeſefert; hic quidem Chronicam Eccleſiae Pragenſis, ille ſecundam partem Chronicae Pragenſis hiſtoriam ſuam inſcripſit. Cum igitur ex Neplachone, atque ex ipſius Franciſci Chronico, ſatis conſtaret, Franciſcum Canonicum Chronicae Pragenſis, (ſecundae nimirum partis), eſſe auctorem, etiam Beneſſii opus, errore ex inſcriptionum ſimilitudine orto, eidem adſcriptum fuit. Hunc errorem ſecutus quoque Crugerius, nam in Weleslauini Calendario p. 213. ad annum

num 1373. citatum Franciſcum Canonicum legerat, manuſcriptum illius Chronicon, quod in Bibliotheca Metropolitana in membrana nitidiſſime exaratum conſpexerat, mutilum eſſe credidit, cum omnino ſit integerrimum. Putauerat enim deſiderari in eo illa omnia, quae a Lupacio et Weleslauino, poſt annum 1342. e Franciſci MSto adferuntur.

Chronicon hoc in eodem vetuſtiſſimo praeſtantiſſimoque membranaceo Codice, quo Coſmas eiusque Continuatores continentur, a fol. 150. vſque ad fol. 185. ſcriptum exſtat. Pluribus hunc codicem in praefatione Tomi I. p. XV. et ſeqq. deſcripſimus. Illud vero nunc addendum eſt, vnicum hoc ſolumque Franciſci Manuſcriptum exſtare, eſſeque hoc ipſum, quod Iohanni IV. Pragenſi Epiſcopo oblatum fuerat. Nec difficile eſt explicare, quid repraeſentet, coloribus auroque grauis, nec prorſus inelegans, pictura, ductibus primae literae, qua dedicationis epiſtola inchoatur, circumſcripta. Conſpicitur in ea Epiſcopus, Iohannes IV. ſolio epiſcopali inſidens, caput mitra ornatus, pedum manu ſiniſtra, dextra biretum, quale geſtabant Canonici, capiti flectentis Franciſci imponendum, tenens. Ex qua imagine, vti et aliis ſimulacris lapideis, quae in ſuperiori pergula Eccleſiae Metropolitanae vidimus, habitus Canonicorum, qualis ea aetate fuerit, cognoſcitur.

Prodiit in lucem Franciſci hiſtoria primum Pragae MDCCLIV., curante D. Iohanne Auguſtino Kneysl, I. V. tunc Candidato, quae diſſertationi eius *de retractu conuentionali, legali et gentilitio*, annexa eſt, hoc titulo:

lo: *Continuatio Chronici Boemici, olim conſcripti a Coſma Pragenſis Eccleſiae Decano, continuati per Franciſcum eiusdem Eccleſiae Canonicum. Nunc e codice MSto, velut ſuo Originali, producta et in lucem publicam prima vice edita.* Quamuis eodem codice Metropolitano fuiſſet vſus editor, multos tamen et graues in impreſſo offendimus errores. Horum aliqui a ſcribae imperitia et negligentia profecti ſunt: vt pag. 10. *Religioſum humilem Dei te faciendo* pro *Regulum humilem de te* —, p. 17. *togae praetulit ſuam latinitatem* pro *congrue protulit* —, p. 19. *gladio militari interemtus* pro—*praecinctus*, p. 24. *qui* pro *ſerui*, p. 33. *ſicut prius erat*, pro *ſicut promiſerat*, p. ead. *ſcutaria* pro *ſanctuaria*, p. 34. *Chob* pro *Thob.* (Thobiam), p. 35. *MCCCXC.* pro *MCCCX.* p. 40. *ſecum deportantes* pro *iocunde portantes*, p. 43. *ſequens ſtatim* pro *ſequeſtratim*, p. ead. *profecti* pro *ſequeſtrati*, p. 44. *MCCCXII. Kal. Iun.* pro *MCCC XV. XII. Kal. Iun.*, p. 47. *DC* pro *CD*, p. 59. *XI millia* pro *XL. millia*, p. 63. *inſcia Matre Eccleſia* pro *in ſancta Matre* —, p. 70. *maximo* pro *in Chriſto*, aliique leuiores multi. Sed et alia ſtudio immutata, alia prorſus omiſſa ſunt. Caput VI. ſic inſcripſit Editor: *quomodo ſocer Rudolphus Rex Romanorum generum ſuum Wenceslaum Regem Boemiae in Egra viſitauerit*; cum tamen codex ſic habeat: *quomodo Rex Boemiae ipſum Regnum ab Imperatore in feodo accepit, et quomodo ſe ipſum rexit.* P. 36. verba: *ab Imperio in feodo accipiat, ſicut caeteri Principes facere conſueuerunt Imperio ſacro*, p. 84. verba: *animarum occiſores, populorum deceptores* — —, *adulteri, luſores, ebrioſi, doloſi, omnibus criminibus ir-*

reti-

retiti, omiſſa ſunt. Quae quidem omnia nos ſuis locis reſtituimus ad fidem codicis, naeuosque etiam leuiſſimos quoſque deterſimus.

II.

De Beneſſio eiusque Chronico.

Haiekum Beneſſii, Canonici Pragenſis et Archidiaconi Zatecenſis, Chronico vſum fuiſſe, quamquam eum in Auctorum operi ſuo praefixorum ſerie non nominauerit, multis e locis, quos in Annales ſuos ex eo transtulit, planum fit. Lupacium quoque ac Weleslauinum ex Chronico Eccleſiae Pragenſis Beneſſii citare multa, ſupra monuimus. Latuerat autem eos Auctoris nomen. Nam ea, quae ex Beneſſio, etiam poſt annum MCCCXLII. deſumta ſunt, Franciſco, Canonico Pragenſi, tribuerunt. Hic error vnde ortus ſit, ſupra oſtendimus. Proxime elapſo ſeculo Thomas Peſſina de Czechorod, Metropolitanae Eccleſiae Decanus, Beneſſii hiſtoriam diligenter indagauit, tandemque feliciter detexit. Crugerius quidem iam ante Peſſinam, cum Chronicon manuſcriptum fratris cuiusdam Beneſſii ex Ordine Minorum S. Franciſci, quod nuper Cl. Dobnerus Tom. IV. Mon. Hiſt. Boh. edidit, anno 1646. conſecutus fuiſſet; credidit, at falſo, hoc ipſum eſſe veram Beneſſii de Weitmil, Canonici Pragenſis, Hiſtoriam. Is enim, in literis 25. Ianuarii an. 1669. Litomericio ad Peſſinam datis, ita ſcribit: *Quod attinet Chronicon Beneſſii Weitmilii, vbi quaerendus ſit; eſt in quarto, duobus digitis craſſum. Mihi fuit conceſſus a D. Winczowsky Canonico Wiſſehradenſi* 1646. *Quis fuit*

poſt

poſt eum haeres? E Canonico Pragenſi factus fuit Franciſcanus, hinc regni memoriis immiſcet breuiter Franciſcanos ad A. Ch. circiter 1390. *Cuttenus quaſi, ſed plenus nuclei, ſi quis alius*; *Drabeniczius inde Bohuslao* (Balbino) *viſus.* Legerat nempe in hoc Chronico Crugerius ad annum MCCCLXXXVI. haec verba: *Eodem die Frater Beneſſius in Boleslauia cantaui nouam Miſſam.* Multas quoque memorias Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci in eo deprehenderat. Cumque paulo ante ad annum MCCCLXXIIII. nomen eius Beneſſii occurreret, qui corpora Epiſcoporum, mandato Archiepiſcopi et Capituli Pragenſis, in nouam Eccleſiam transtuliſſet: facile, his indiciis repertis, Crugerius in errorem trahi poterat, vt Beneſſium Krabicze de Weitmil, Canonicum Pragenſem et Archidiaconum Zatecenſem, fabricaeque nouae Eccleſiae Pragenſis Directorem, cum Fratre Beneſſio, obſcuri nominis homine, confunderet; crederetque Beneſſium Canonicum, iam aetate grandaeuum, Ordinem S. Franciſci ingreſſum fuiſſe, vt explicari poſſit ille locus, quo Frater Beneſſius ſe primam ſeu nouam Miſſam legiſſe perhibuit. Eodem, Crugerius, errore in Pulueribus ſacris ad IX. Aprilis et XIV. Maii repetito, mox in alium lapſus eſt. Nam et obiiſſe Neoboleslauiae dixit Beneſſium e coniectura. Sic enim ad IV. Octobris habet: *Vltra hos Neo-Boleslauiae Beneſs Weitmilius, Chronici veteris conſcripti author, imo Baſilicae S. Viti cum aedificaretur operarum praefectus, cuius in tholo hodierni chori exſculpta in lapide ſupereſt ſtatua, paulo ante Metropolitanae Canonicus, inter conventuales deſiit viuere ſenex Franciſcanus.* Falſa haec

eſſe

esse, post ostendemus. Condonari tamen errores hi possunt Crugerio. Nescierat enim ea omnia, quae in compilatione illa, quam Beneßio Canonico falso tribuit, ab anno MCCCLXVI. vsque ad annum MCCCLXXIIII. referuntur, e libro quarto chronici Ecclesiae Pragensis, a Beneßio compositi, de verbo esse descripta, ita quidem, vt neque ipsa verba, Auctoris scribentis personam respicientia, *Ego Beneßius — transtuli corpora*, compilator immutauerit. Nescierat, genuinum Beneßii Canonici Chronicon anno MCCCLXXIIII. absolui. Quae si comperta habuisset, vtique cognouisset ea, quae post hunc annum in illa compilatione notata sunt, alterius Auctoris esse, vti et posterius relata non vni Continuatori tribuenda sunt. Tacemus multa alia, ex quibus effici possit, compilationem illam, Crugerio notam, a Cl. Dobnero editam, Beneßio nostro plane indignam esse.

Meliorem de Beneßii Chronico cognitionem indeptus est Balbinus. Is enim hunc ipsum Codicem, quem Pessina in singulis fere paginis Phosphori et Martis Morauici celebrat, beneuolentia eius consecutus est. Nam inter alios Bibliothecae Metropolitanae libros sibi a Pessina concessos, quos Parte III. Boh. doctae p. 37. et 38. enumerat, etiam Beneßium nominauit. *Item manuscriptus*, ait Balbinus, *liber Beneßii de Weitmil Canonici Pragensis Chronicon continens libris quatuor, quibus historiam ad Carolum IV. sub quo viuebat, et cuius aulam diu secutus est, Beneßius comprehendit, plenam rerum pulcherrimarum; ex quibus libris potissima quaeque in Miscellaneorum historicorum volumen meum optima fide transtuli, Beneßio innixus, quem virum nobilem, eccle-*

 siastica

ſiaſtica dignitate conſpicuum, ea, quae videbat, ſcribentem, credere poſſum, fallere noluiſſe. Ex hoc Beneſſii Chronico notatu digniora excerpſerat Balbinus et in compendium quoddam redegerat, quod eſt in manibus Doctiſſimi Viri Franciſci Pubitſchka. In cuius fine haec adiecta leguntur : *Hucuſque peruenit Chronica Pragenſis Beneſſii, excerpſi die S. Barbarae in profeſſa domo anno* 1670.

Hoc, quo viuimus ſeculo, Hammerſchmidius et Berghauerus Beneſſii hiſtoriam laudarunt ſaepius, quamvis non ſatis conſtet, vtrum manuſcriptum Codicem inſpexerint ipſi, an vero ſolum ea repetant, quae ante eos Peſſina et Balbinus in medium attulerunt. Ab eo certe tempore multorum, tam exterorum quam noſtrorum, eruditorum virorum votis expetebatur Beneſſii editio, at codex, omni etiam adhibita diligentia in Bibliotheca Metropolitana diu multumque quaeſitus, reperiri non poterat. Nuperrime tandem detectus eſt a Reuerendiſſimo ac Perilluſtri Domino, Ioan. Mich. Warlichio Equite de Bubna, cuius induſtria in euoluendis veteribus antiquiſſimae huius Bibliothecae monumentis, quae inprimis hiſtoriae patriae ſtudioſis emolumento eſſe poſſint, ſummopere nobis commendanda eſt. Pluribus hunc codicem deſcribemus poſtea, quam de Beneſſio egerimus.

Beneſſii memorias paucis complexus eſt Balbinus Miſcell. Decadis I. libro V. p. 51. hiſce : *Beneſſius Canonicus educatus fuit in ſeruitiis Caroli IV. ſcripſitque Hiſtoriam Bohemiae libris aliquot; in Collegium Canonicorum Eccleſiae Metropolitanae cooptatus miram in rebus agen-*

agendis dexteritatem praeſetulit, ideoque Nouae Baſilicae S. Viti, quae dum condi coepit, praefectus eſt; videbis eius effigiem in habitu Canonicali cum inſignibus ſtirpis in pergulis Eccleſiae ſuperioribus e pariete exſtantem et ad viuum expreſſam; tandem, cum valedicere rebus humanis ſtatuiſſet, S. Franciſci Ordinem Minorum ad S. Iacobum ingreſſus eſt. Sunt autem in his aliqua, quae e coaeuis documentis emendari debeant, aliqua, quae illuſtrari poſſint.

Anno 1341. in literis Iohannis, Regis Bohemiae, quas recitat Peſſina in Phoſphoro p. 58., inter Canonicos Pragenſes *Beneſſius* legitur. Eſtque ſatis probabile, noſtrum hoc nomine, quamuis plures poſtea Beneſſii exſtiterint, intelligi. Anno 1363. eum in numero Canonicorum fuiſſe, certo iam conſtat ex literis, quibus Beneſſius, Canonicus Pragenſis, eiusque fratres germani Iohannes, Plebanus in Lippa, et Petrus de Sliwna, erigunt et dotant altare S. Annae in Eccleſia Lippenſi. Exſtant hae literae in libris Erectionum Tom. I. Q. III. fol. XXXVIII. quas hic integras inſerere placuit.

Litera ſuper altari in Lippa ſanctae Annae.

Nos Beneſſius Canonicus Pragenſis, Iohannes Plebanus in Lippa, et Petrus de Sliwna fratres germani, filii quondam Beneſſii Crabice de Weytmil, notum facimus vniuerſis, quod cupientes noſtris, et Progenitorum noſtrorum animabus ſalubriter prouidere: Ad honorem Dei Omnipotentis, et beatae Virginis Mariae Matris eius, ac ſanctae Annae Genitricis eiusdem Dominae noſtrae,

altare in Eccleſia Parochiali in Lippa erreximus, et eidem altari ac miniſtro ipſius Domino Hankoni, et ſuis ſucceſſoribus bona noſtra haereditaria, videlicet tres ſexagenas cum dimidia groſſorum denariorum Pragenſium annui perpetuique cenſus in villa Lubuſthow ſuperiori, prope Lippam ſita, in et ſuper curiis et haereditatibus hominum noſtrorum Gezkonis dicti Anzderaw, Haynczlini dicti Teubel, et Nicolai dicti Vytel, damus, donamus, conferimus ac incorporamus per ipſum Dominum Hankonem, et ſucceſſores, qui pro tempore fuerint, cum omnibus dictorum bonorum ſeu cenſus libertatibus, iuribus et pertinentiis, et pleno dominio, prout ipſa hactenus tenuimus, et poſſedimus, habenda, tenenda et poſſidenda perpetuis temporibus pacifice et quiete, adicientes expreſſe, quod licet nobis et noſtris haeredibus dicta bona ſint in terrae tabulis annotata, vt ſi quando dictus Altariſta nobis ipſa bona ratione emptionis duxit commendanda, per huiusmodi intabulationem et commendam nullum nobis Ius in bis vſurpabimus, neque Iuri dicti Altariſtae huiusmodi intabulatio et commenda aliquod praeiudicium poterit generare, quo minus illam poſſit pro libito ſuae voluntatis, quando et quoties ſibi placuerit, variare et reuocare, et ſi in eo nos difficiles, quod abſit, reddiderimus, vt in ſolutionem cenſus, ſi quando illa bona ab eodem in commenda ſeu tuitione tenebimus, fuerimus negligentes, pro huiusmodi impedimentis, ſeu negligentiis poterit nos dictus Altariſta coram Officiali Curiae Archiepiſcopalis Pragenſis conuenire, cuius nos eo in caſu ſubmittimus Iurisdictioni. Reſeruamus inſuper nobis ius praeſentandi, ad dictum Altare quoties, et quando illud vacare contigerit:

gerit : ita, quod poſt noſtrum obitum, ad haeredes dicti Petri de Sliwna fratris noſtri debeat Iure haereditario pertinere. Diſponimus itaque, ſtatuimus, et ordinamus, vt dictus Altariſta perſonaliter apud huiusmodi beneficium reſidentiam faciens, per ſe ipſum, vel legitime impeditus per alium, in ipſo Altari omni die ſabbati ſingulis ſeptimanis perpetuis temporibus Miſſam de beata Virgine tempori congruentem, cantare debeat integre, ſub nota in aurora diei, et finire ante primam, adiunctis ſibi quatuor Clericis pauperibus ad cantandum habilibus. Quibus ipſe ſatis faciat pro eorum laboribus, prout cum illis poterit conuenire. In qua quidem Miſſa ſecundam collectam Deus, qui viuorum dominaris etc. etc., et tertiam, Deus, cuius miſericordiae non eſt numerus etc. etc. ſubiunget. Faciet etiam exhortationem ad populum in vulgari, vt orent Deum pro nobis, et pro progenitoribus noſtris, ac benefactoribus ac dotatoribus Altaris praedicti, prout ſibi Deus inſpirabit. Praeterea volumus, et ordinamus, vt dictus Altariſta peragat Anniuerſarium Patri noſtro praedicto, et omnibus Progenitoribus noſtris, atque nobis omnibus, poſt diem Dominicam poſt Aſcenſionem Domini proximam cum vigiliis, et in craſtino cum Miſſa defunctorum pariter ſub nota ſingulis annis perpetuis temporibus ſucceſſiuis. Si quando vero dictus Altariſta huiusmodi onera vtpote Miſſam die ſabbati, ſeu Anniuerſarium, vt praedicitur, non expleuerit, ex tunc pro qualibet negligentia ſoluet Domino Plebano Eccleſiae Parochialis quatuor groſſos nomine poenae : qui huiusmodi negligentiam per alium faciet ſupplere pro illa vice. Et debet dictus Altariſta ipſi Plebano eſſe in omnibus obediens, et ſubiectus, tam-

quam ſuo Superiori, et Praelato, et nullum ſibi praeiudicium in offertorio generare. In quorum euidentiam ſigilla noſtra praedictorum ſunt appenſa. Datum feria tertia poſt Oculi Anno Domini MCCCLXIII. Nos quoque Nicolaus Praepoſitus Monaſterii ſanctae Mariae Canonicorum Regularium in Rudnicz, et Detlewus Pragenſis et Camynenſis Eccleſiarum Canonicus, Reuerendiſſimi in Chriſto Patris et Domini Domini Arneſti ſanctae Pragenſis Eccleſiae Archiepiſcopi Vicarius in Spiritualibus Generalis, donationem et ordinationem praemiſſas, quas ex purae deuotionis inſtinctu prodire conſpicimus, ad augmentum cultus diuini, et ſalutem animarum fidelium Chriſti, ratas habemus atque gratas ipſas in ſuis clauſulis et punctis, prout prouide facta ſunt, Authoritate ordinaria ratificamus, et ex certa ſcientia confirmamus. In cuius rei teſtimonium, praeſentes literas fieri et ſigilli noſtri Vicariatus communiri. Actum et datum Pragae in Curia Archiepiſcopali ſeptima die menſis Marcii Anno Domini MCCCLXIII.

Ex quibus literis cognoſcimus, Beneſſium illuſtri ſtirpe Krabiciorum de Weitmil ortum fuiſſe. Commendabatur igitur Beneſſius a natalium ſplendore, magis tamen a multarum rerum peritia. Nam annò MCCCLV., quo Nicolaus dictus Holubek, Canonicus Pragenſis, ſecundus Director fabricae Eccleſiae Pragenſis, vt habet vetus inſcriptio, obierat, tertius fabricae Director conſtitutus eſt. Exſtant in Archiuo Capituli Metropolitani *Libri diſtributionum nouae fabricae Eccleſiae Pragenſis* duo, alius ab anno MCCCLXX. vſque ad annum MCCCLXXIIII., alius ab hoc anno

vſque

vſque ad annum MCCCLXXVIII., in quibus ſolutiones Magiſtrorum, Fabrorum, lapicidarum, aliorumque operariorum per ſingulas hebdomadas recenſentur. In his frequens Beneſſii noſtri mentio fit. Ad annum MCCCLXXII. Dominica proxima poſt Aſcenſionem haec leguntur: *Domino Beneſſio Rectori fabricae in ſuo annuali ſalario pro iſto medio anno VI. ſexag. Groſs. ſolui.* Iterum Dominica XXII., qua canitur: Si iniquitates: *Item Domino Beneſſio Directori fabricae in ſuo ſalario annuali pro termino S. Galli dedi VI. ſexag. Groſs.* Ad annum MCCCLXXIII. Dominica ſecunda, qua canitur: Miſericordia, ipſo die Philippi et Iacobi: *Item nota pro termino S. Georgii praeſentis Domino Beneſſio Archidiacono Zacenſi, Directori fabricae in ſalario ſuo annuali dedi V. ſexag. Groſs. Item Andreae Notario fabricae IIII. ſexag. Groſs.* Iterumque: *Domino Beneſſio Archidiacono Zacenſi Directori fabricae in ſuo ſalario pro termino S. Galli dedi V. ſexag. Groſſorum.* Habemus igitur etiam annum certo cognitum, quo Beneſſius Archidiaconatum Zatecenſem adeptus eſt. Ad annum MCCCLXXIIII. Dominica tertia Iubilate, notatu digna occurrunt: *Item Dominus Beneſſius Archidiaconus Zacenſis, Rector fabricae, licet pro termino praeſenti in ſalario ſuo debet VI. ſexagen. Groſſorum habere, quas indulget ex eo, quia per permutationem adeptus eſt Praebendam in Eccleſia Pragenſi et neſcit, ſi tenetur pro fabrica ſecundum ſtatutum ſoluere annum gratiae, ergo ad cautelam hoc ſalarium donauit ad fabricam Eccleſiae memoratae.* Iterumque Dominica XIX. Salus populi: *Domino Beneſſio Archidiacono Zacenſi Di-*

rectori fabricae in ſuo ſalario pro termino praeſenti V. ſexag. Groſſ. ſolui. Ab hoc tempore nulla Beneſſii amplius memoria in his libris continetur. Andreas enim Notarius fabricae anno ſequenti; Dominica XVII. Iuſtus es, iam Rector eiusdem fabricae legitur, qui in eo munere Beneſſio ſucceſſerat. Anno MCCCLXXIIII. transtulit Beneſſius corpora Epiſcoporum Pragenſium, et in nova Eccleſia recondidit. Cuius translationis memoriam ipſe transcripſit ad poſteros, libro IV. circa finem, his verbis: *Eodem anno ego Beneſſius etc.* (voluit namque dignitatem ſuam exprimere) *de mandato eiusdem Domini Archiepiſcopi et Capituli Pragenſis, transtuli corpora infra ſcriptorum Dominorum Epiſcoporum Pragenſis Eccleſiae de locis ſuis, in quibus ſinguli ſingulariter iacuerunt ſatis negligenter et humiliter, et recondidi illa corpora in nouo choro Eccleſiae Pragenſis, in loco, qui eſt inter ſepulchrum S. Viti, et capellam Imperialem ſanctae Trinitatis, includendo ſingula corpora in ſingulis alueis lapideis, impoſitis ibidem intus laminis plumbeis, cum ſculptis nominibus ipſorum, ad perpetuam rei memoriam; quae ſepulchra Epiſcoporum cooperui cum marmoreis lapidibus* etc. etc. Meritorum eius in Eccleſiam S. Viti teſtis eſt ſimulacrum lapideum, quod Beneſſii effigiem pectore tenus efformatam exhibet in pergula ſuperiori Eccleſiae, appoſitis ſtirpis Weitmiliae inſignibus, lapide molari a dextris, et arcula, quam Bohemi Krabicze dixerunt, a ſiniſtris. Effigies haec aeri inciſa in III. Parte Effigierum Eruditorum Bohemiae videri poteſt. Inſcriptio vero, quae ſupra ſimulacrum in pariete penicillo exarata fuit, integra, exeſis iam vetuſtate

et

et obliteratis characteribus, legi non poteſt. Poſſet tamen ex hiis, quae ſuperſunt, facile reſtitui. Ita autem habent, quae non niſi cum difficultate maxima exſculpſimus:

Beneſius dictus Krabiczie
Canonicus Pragen. . . .
. . . fabricae . . . . . .
anno Dni MCCCLXXV. die
. . . menſis . . . . . .

Cum qua ſi Buſchonis Imi, Nicolai Holubek IIdi, Andreae Kotlik IIIIti, Wenceslai de Radec. Vti, fabricae directorum, inſcriptiones conferantur, manifeſtum eſt, deſiderari in ea verba: *tertii Directoris.* Annus vero MCCCLXXV. non obitum Beneſſii, diutius enim vixerat, ſed illud tempus, quo fabricam Eccleſiae regere deſiit, denotat. Nam, vt iam monuimus, hoc eodem anno prouinciam hanc cepit Andreas de Kotlik, Canonicus Pragenſis, IV. fabricae Rector, quem an. 1380. obiiſſe inſcriptio teſtatur.

Quamdiu Archidiaconatum Zatecenſem retinuerit Beneſſius, difficile eſt ſtatuere. Etiam anno MCCCLXXV. eum Archidiaconum ſcribi, in veteri Codice reperit Berghauerus (Protomart. Poenitentiae p. 166.) In Manuſcripto Bibliothecae Metropolitanae, in quo *literae receptionum in Canonicos Eccleſiae Pragenſis* ab anno 1378. vſque ad annum 1389. continentur, frequentiſſime Beneſſii de Weitmile nomen, at nuſquam Archidiaconi Zatecenſis dignitate addita, occurrit. Sic anno 1378. die 31. Martii et 3. Nouembris inter Canonicos capitulariter congregatos legitur *Beneſſius de Waytmuel.*

Poſt receptionem Beneſſii Vlrici de Chobolicz, quae 28. Martii an. 1379. facta eſt, aliquoties in iisdem literis *Beneſſius de Waytmuel Senior* vocatur; qua quidem voce non dignitatem, ſed aetatem deſignari putamus. Diſtinguendus enim erat a Beneſſio iuniore Canonico. Niſi forte *Seniorem* appellatum fuiſſe velis ob alium Beneſſium de Weitmil, manſionarium maiorem in Eccleſia Pragenſi, cuius an. 1380. memoriam reperimus. Anno 1380. 22. Octobris Iohannem de Kitlicz fuiſſe Archidiaconum Zatecenſem certo ſcimus, vt adeo incertum ſit, quonam anno ex iis, qui inter 1375. et 1380. interiacent, Archidiaconi dignitatem cum alia Beneſſius commutauerit. Aſt Hincone Decano depoſito, Decanatum Pragenſem adminiſtraſſe Beneſſium ex iisdem literis cognoſcimus. Nam an. 1380. 21. Iulii in Canonicum fratrem, et Praebendam Domini Hinkonis Decani depoſiti, receptus legitur Dominus Vlricus Hlozek, Plebanus in Srbicz Pragenſis dioeceſis, *coram Beneſſio Seniore* de *Waytbmül Adminiſtratore Decanatus dictae Eccleſiae Pragenſis.* Creato deinde 30. Iunii huius anni Decano, Przibicone de Poreſchin, Marquardi de Poreſchin Militis, Regis Wenceslai et Iohannae Reginae Marſchalci, filio, qui Paduae ſtudiis dabat operam, vices Decani aliquo tempore egit Beneſſius noſter. Qua de cauſa etiam in literis Receptionum 30. Auguſti et 12. Septembris anni 1380. *Vicedecanus* ſcribitur. Quo quidem officio etiam alii defungebantur, vſque dum Przibico e ſtudiis Pragam adueniſſet, quem 24. Maii anni 1381. munus Decani in Capitulo obiiſſe legimus. Annis deinde ſequentibus eum ſaepius actibus Capituli, at vltima vice

10. Octobris anni 1384., interfuiſſe, eaedem literae teſtantur. Neque poſt hunc annum quiſquam memoratur, qui in Beneſſii noſtri locum et Praebendam ſucceſſiſſet, vt ita dubium relinquatur, mortuusne breui poſt id tempus fuerit, an vero, valetudinis infirmitate prohibitus, in Capituli congregationibus non comparuerit.

Anno MCCCXCVII. iam mortui memoria ſupereſt in literis emtionis, quae exſtant in libris Erectionum Tom. XIII. lit. H. fol. LXXIII. In his literis legimus, Nicolaum quendam natum Peſſiconis de Slana faſſum fuiſſe, ſe vnam ſexagenam Groſſorum Fragenſium cenſus annui et perpetui vendidiſſe Domino Nicolao Plebano Eccleſiae in Buſczieweſs, Rectori Altaris S. Procopii in Eccleſia Wiſſehradenſi, et ipſius ſucceſſoribus, pro decem ſexagenis groſſorum denariorum Pragenſium, eidem in pecunia parata et numerata traditis, *quae donatae ſunt per Dominum Beneſſium dictum Krabicze bonae memoriae, olim Canonicum Pragenſem.* Satis igitur liquet, eum qua Canonicum, non vero, vt falſo Crugerius, Balbinus aliique crediderunt, qua Religioſum Ordinis Minorum S. Franciſci obiiſſe. Pragae in Eccleſia Metropolitana ante capellam S. Wenceslai ſepultum eſſe, Paprocius in Diadocho et ſpeculo Morauiae tradidit, et recte. Nam in manuſcripto Bibliothecae Metropolitanae Codice Anniuerſariorum, qui *liber portionum quotidianarum Eccleſiae Pragenſis, per Raczkonem procuratus*, inſcribitur, diem obitus et ſepulturae locum notatum reperimus. Ita vero ad VI. Kal. Auguſti habet: *Eodem etiam die obiit Beneſſius Krabicze, in cuius Anniuerſario Miniſter Corporis Chriſti*

ſti dat III. ſexagenas hoc modo : II. Canonicis et Miniſtris, XIII. groſſos pro officio et candelis, X. groſſ. pro Miſſis conuentualibus, V. groſſos matronis, II. groſſ. campanatoribus, II. groſſ. pro pane pauperibus, et ſcholaribus III. groſſos, ad boſpitale in ponte XII. groſſos, XV. groſſos plebano S. Aegidii. Commenda ante Capellam S. Wenceslai. Fiebant autem Commendae, ſtationes hodie vocant, eo in loco, quo defuncti corpus humatum erat. Haec de Beneſſio ex certis monumentis collegimus, miſſis iis, vtpote dubiis, meritoque ſuſpectis, quae alii poſteriores de eo tradiderunt. Qualia ſunt, eum in aula Caroli IV. educatum, ac omnium prope eius itinerum comitem fuiſſe. Illud certe falſum eſt, Beneſſium noſtrum, vt Berghauerus affirmat, Baccalaureum fuiſſe; cum ipſe libro IV. p. 337. teſtetur, ſe *Rhetoricae ſcientiam nunquam didiciſſe, et in grammaticalibus parum ſtuduiſſe.* Neque admitti poteſt, eum anno 1365. Auinione, iterumque anno 1368. Romae cum Carolo IV. fuiſſe. Hoc enim tempore aedificationi novae Baſilicae S. Viti praefuit. Ipſe quoque libro IV. p. 400. his verbis : *Hic tu, qui vidiſti et noſti, materiam dilata etc.*, palam fecit, ſe oculatum teſtem eorum, quae Romae acta ſunt, non fuiſſe. Satis multa de Beneſſio expoſuimus, nunc de Hiſtoria eius paucis agamus.

Nihil Beneſſii hiſtoria *illuſtrius, nihil etiam verius* eſſe poſſe, recte iudicauit Balbinus in Boh. doct. p. 44. Rerum enim, quas narrat, planiſſime cognoſcendarum idoneam facultatem habuit. Veritatis quoque dicendae amor, animique candor omnibus ex locis hiſtoriae ſuae ſatis elucet, vt adeo fidei digniſſimus ſcriptor cenſendus

dus ſit. Pluribus rebus geſtis ipſe interfuit; eorum vero, quae extra Bohemiam facta perhibet, cognitionem ab iis hauſit, quibus perſpectae erant pleniſſime. Conſilium ſcribendae hiſtoriae lib. IIII. p. 327. ipſe explicauit hiſce: *Sed antequam ad vlteriora procedam, rogo te, o lector, vt mihi, tam ſolempnem materiam rudi et inculto ſtilo ſcribenti, non improperes. Nam Rhetoricae ſcientiam nunquam didici, et in Grammaticalibus parum ſtudui. Perpendi autem, quod multi literati viri aliis magis arduis praepediti, Cronicam Pragenſem in temporibus Regis Ottakari ſcribere obmiſerunt. Ne memoria eorum, quae medio* (tempore) *contigerunt, omnino evaneſceret, ad ſcribendum me poſui ea, quae in diuerſis libellis reperi, et quae a Maioribus narrari audiui. Non quod omnia ſint vera, tanquam Euangelium, ſed crede credenda et corrige corrigenda.* (En viri fide digniſſimi modeſtiam!) *Et ſi qua in praecedentibus vel ſequentibus ſcripſiſſem, forte ſiniſtre informatus, aut ex mea ignauia, quae eſſent contra bonorem Principis, aut meorum Praelatorum, vel patriae, aut certe quarumque perſonarum — ex nunc habeo pro non dicto, et pro non ſcripto, immo reuoco, et paratus ſum emendare et ſubiicio me ipſum et hanc ſcripturam meam, ſcriptam et ſcribendam, correctioni Domini mei Archiepiſcopi et Capituli Eccleſiae Pragenſis, quorum mandatis in biis, et in omnibus aliis volo iugiter cum omni reuerentia obedire. Haec idcirco pro excuſatione mea ſcripſi, quia ſicuti in multiloquio raro deeſt peccatum, ſic et in multis ſcripturis, maxime de actibus Principum, ad quorum conſilia pauperes non intromittuntur, difficile eſt non errare etc.* Exſtabant nam-

que

que ad Eccleſiam Metropolitanam Coſmae Decani, eiusque Continuatorum, Canonicorum Pragenſium, Chronica, quae Chronicae Pragenſis, item primae Partis Chronicae Pragenſis nomine veniebant. Hanc igitur continuandam ſibi ſumſit Beneſſius noſter, ideoque librum I. ab an. 1383., quo Continuator ſecundus ſcribere deſiit, auſpicatus eſt. Hac etiam de cauſa, titulum operi ſuo indidit : *Chronica Eccleſiae Pragenſis.* Hiſtoriam hanc ſuam in libros quatuor diuiſit, quod ex libri II. et IIII. inſcriptionibus patet.

Quae libro I. de Wenceslao II., Wenceslao III. Rudolpho, Henrico, Regibus Bohemiae retulit, eiusmodi ſunt, quae in aliorum iam Chronicis, vt Franciſci, Aulae regiae, reperit, quaeque a Moioribus ſuis narrari audiuit. Quod ipſe hoc loco, quem dedimus, atque alibi faſſus eſt. *Loquar vtique*, ita ille mortem Wenceslai III. ad an. 1306. deploraturus, *in amaritudine animae meae, et dolenter referam de vita et morte huius glorioſi Principis, quae in ſcriptis veridicis et a Maioribus fide dignis audiui.* Franciſci verbis eum ſubinde vti, contractis tamen in compendium rebus, quas iſte circumſcriptius explicauit, inſperſis quoque memoriis quibusdam aliis, aliis etiam emendatis, planum fit vtriuſque opus contendenti.

Libro II. Iohannis Regis aduentum in Bohemiam, ſubſequentes deinde eius regiminis annos complecti voluit, ita iubente Carolo IV., ſeu vt inſcriptio huius libri habet, *ſecundum intentionem Domini Imperatoris.* Neque certo conſtat, vbi hic liber deſinat, tertiusque initium ſumat. Nam hic inſcriptione caret. Putamus autem

autem a. 1331., quo Carolus a Patre in Italiam vocatus fuerat, aut potius a. 1333., quo in Bohemiam rediens Pragae ſolemniter receptus, ac Morauiae Marchio conſtitutus eſt. Balbinus vero, dum codicem manuſcriptum huius Chronici verſaret manibus, ad annum 1336. in margine adſcripſit: *Liber III.* Quam diuiſionem etiam Peſſina ſecutus eſt; nos pariter retinuimus eo fine, vt facilius citationes aliorum cum hac editione noſtra conferri poſſint. Huic libro quaedam miracula S. Procopii, vt pag. 234. 244. 245. 251. Beneſſius inſeruit, ex quadam Legenda, vt vocant, deſumta, quam Chronicam S. Procopii appellat. Diſertam illius mentionem iniecit ad annum 1316. his verbis: *in Cronica S. Procopii ſcribitur*, iterumque ad an. 1318.: *hoc dicit Cronica S. Procopii.* Aduertit id Balbinus in Boh. docta p. 45. *Idem ſcriptor*, ait, *ſaepiſſime* (immo bis) *citat Chronicam S. Procopii, eiusque libri Chronicon autboritate ſua confirmat cum an.* 1321., *at illud nunquam in manus meas peruenit.* Verum refert quidem Beneſſius miracula quaedam ad S. Procopii ſepulchrum patrata ad an. 1321., Chronici autem S. Procopii hic loci non meminit. Sed iam ad an. 1316. quaeſiuit Balbinus in margine Codicis ſcribens: *vbi illa?* Cui Peſſina reſpondit ſubiungens: Eſt MS. in Bibliotheca Capituli Metropolitani ſub ſigno In hoc praeter alias Sanctorum Vitas, quae in Breuiarii lectionibus recitari ſolebant, vita et miracula S. Procopii continentur. In cuius Codicis margine ſuperiori Peſſina ſignum illud appoſuit, manuque ſua adſcripſit: *Chronicon S. Procopii, cuius meminit Beneſſius de Weitmil, Canonicus Pragenſis, in Chronico Eccleſiae*

cleſiae Pragenſis libro 2do ad an. 1316. Euoluta autem hac Vita, aliisque duobus Manuſcriptis ſeculi XIV., eandem continentibus, diligenter inſpectis, ea, quae Beneſſius habet, miracula minime reperimus. Aliam igitur Beneſſius prae manibus habuiſſe videtur. Neque enim haec vita, de qua Peſſina loquitur, ad ſeculum vſque XIV. pertingit. Sunt in ea, vt hoc obiter moneamus, multa totidem verbis e Monacho Sazauienſi, Coſmae Compilatore, quem Tom. I. excudimus, deſumta, addita Canonizationis hiſtoria incertae fidei, aliisque miraculis. Aliquas huius vitae lectiones impreſſo noſtro praeferendas hic notare placuit. Pag. 96. lin. 11. impreſſus legit: *in memoris afflictionem*, at certe melius vita: *in moeroris afflictionem.* Ead. pag. lin. 10. a fine pro *conſors ſocietas* legit *concors ſocietas.* Sed haec per tranſennam, nunc in viam redeamus.

Libro III. res geſtas Iohannis Regis, Carolique Marchionis Morauiae proſequitur Beneſſius, multorum iam oculatus teſtis, aliorum auritus et aequalis. Eorum, quae ipſe comperire non poterat, alios teſtes nominat. Ita p. 274. ait: *vt referunt plurimi*, p. 275. Carolum IV. teſtem citat: *referebat Dominus Carolus.* Ergo ex ore ipſius Caroli, idonei profecto teſtis, cuius hortatu hiſtoriam ſcripſit, multa hauſiſſe videtur, quamuis id alibi diſerte non expreſſerit.

Liber IIII. magnitudine ſua, rerum praeſtantiſſimarum copia, ac inprimis accurata factorum narratione tres priores omnes longe ſuperat. Integro hoc libro Caroli IV. Romanorum Imperatoris, et Bohemiae Regis res praeclare geſtas, multaque alia ſub glorioſo

Regis

Regis huius regimine in Bohemia acta, copioſius deſcribit. Et quanquam iam de Caroli ortu, vita in puericitia transacta, bellis in Italia confectis, aliisque multis rebus egiſſet, tamen, vt continua ſerie procederet, ea omnia, quae Carolum attinent, repetere maluit. In his Commentarium Caroli IV. tam preſſe ſecutus eſt, vt multa iisdem verbis narrauerit. Ab anno deinde MCCCXLVI. pulcherrimo ordine vitam Caroli, aliaque ſub id tempus in Bohemia acta, vſque ad an. MCCCLXX IIII. continuauit. Nec obſcurum reliquit Beneſſius, ſibi, quae hoc libro referuntur, fuiſſe optime perſpecta. Plurima enim Pragae ipſe viderat, vti aliquibus in locis prodidit. Dum an. 1371. Regina Elizabetha, Caroli IV. vxor, ſpecimen fortitudinis ſuae, confringendo ferreum babatum, dediſſet, Beneſſius noſter ſe praeſentem fuiſſe hiſce innuit: *Nec ſemel tantum hoc tempore, quo ego haec ſcribens vidi, verum etiam aliis temporibus praeteritis et poſtea pluribus vicibus, haec et his maiora propriis viribus faciebat.* Iterum an. 1372. poſtquam narraſſet Carolo IV. iam LVII. annum aetatis ſuae agenti, nouum dentem ſuccreuiſſe in locum eius, qui ei nuper exciderat, aſſeuerat ſe vera retuliſſe: *et tamen veritatem ſcribo, quia ſic vidi.* Alia multa eiusmodi ſunt, quae ipſo Beneſſio ſeu iubente, ſeu agente facta ſunt, quale illud eſt, quod de translatione corporum Ducum ac Regum Bohemiae ad an. 1373., iterumque de Epiſcoporum ſepulchris ad an. 1374. commemorat. Iſtud adhuc quaeri poſſit, cur anno hoc librum IIII. abſoluerit, cum longius adhuc vitam protraxiſſet Beneſſius, promiſiſſetque initio huius libri, ſe etiam de ortu, vita ac geſtis

Wenceslai IV. ſcripturum. Nos omnibus expenſis nullam aliam magis idoneam rationem dare poſſumus, quam illam, quod Beneſſius noſter ſiue negotiis, quae otium ei omne ſurripiebant, nimium diſtentus, ſiue infirma valetudine vſus, promiſſis ſtare non potuerit.

Codex manuſcriptus, ex quo Beneſſii hiſtoriam primum edimus, eſt chartaceus in forma, vt aiunt, quarta, eiusque ſeculi, quo vixit Auctor. Vtrum eius propria manu ſcriptus ſit, autographumque dici poſſit, difficile eſt definire. A tergo aureis literis ei inſcripta ſunt: *Hiſtoria Eccleſiae Prag.* In ſuperiori margine primi folii: *Ex Bibliotheca Capituli Metropol. Prag.* manu Peſſinae. Praeter hunc alius non exſtat, cum quo eum conferre variantesque lectiones adnotare licuiſſet. Continet autem hic Codex etiam alia quaedam, quae hic breuiſſime ſubiicimus eo ordine, quo ibi leguntur. Primo loco poſt Beneſſii libros IIII.: *Quaeſtiones theologicae veritatis.* Deinde: X. *Praecepta, ſecundum quod beatus Auguſtinus expoſuit.* Demum opuſcula plura Annaeo L. Senecae falſo adſcripta, et quidem: *Prouerbia Senecae Poetae et Philoſophi egregii, Liber de paupertate, Liber de remediis fortuitorum, Tractatus de quatuor Virtutibus*, et haec omnia manu ſeculi XIV. exarata ſunt. Poſt haec: *Excerpta Iuris Canonici ac Decreti per Alphabetum*, alia paulo recentiori manu.

Sequitur deinde Chronicum breue, patria lingua conſcriptum ab aliquo diligenti homine, qui eo tempore, quo Concilium Baſileae celebratum fuit, vixiſſe videtur. Quod ipſum et manus et ſtilus ſeculi XV. confirmare videntur. Reddidimus illud latine, vt etiam

iis

iis, qui linguae bohemicae ignari ſunt, emolumento eſſe poſſit. Monitum autem volumus Lectorem, verſionem noſtram ad ſtili elegantioris normam non eſſe anxie exactam propterea, quod quaedam vocabula, quae eo ſeculo certo ſignificatu accipiebantur, vt *Miles* pro Equite, et alia, quamuis barbara, neceſſario, ad ſenſum Auctoris recte exprimendum, adhibenda fuerint. Poſtremo loco *Sacerdotis ac Baccalaurei almae Vniuerſitatis Pragenſis, Domini Martini Krziwouſti, Via in Ieruſalem*, octo fere implet paginas. Scripta eſt in die Benedicti 1477.

III.

Series Ducum et Regum Bohemiae, quam hic e Codice Bibliothecae Metropolitanae in lucem protrahimus, ex diuerſis Chronicis Bohemiae, vt Coſmae, eius Continuatorum, Franciſci atque Beneſſii, compilata eſt. Eius itaque fides ab iſtis, quos nominauimus, Scriptoribus ducitur. Similem, immo fere eandem ſeriem e Codice Stehlikiano Cl. Dobnerus Tom. III. Mon. Hiſt. Boh. excudi fecit, quae cum Iohanne Rege finitur. At haec noſtra etiam Caroli IV. et Wenceslai IV. res geſtas complectitur, deſcriptas ab aliquo, qui eorum aetati aequalis fuit.

Eadem manu ſubiecta eſt ſeries Epiſcoporum et Archiepiſcoporum ex antiquioribus Scriptoribus collecta, iis exceptis, quae de Archiepiſcopis Pragenſibus, Iohanne II., Iohanne III., et ſequentibus vſque ad Conradum Weſtphalum commemorantur. Haec enim a

Scriptore coaeuo esse descripta satis manifestum est. Eum certe, qui Iohannis de Ienczenstein, Archiepiscopi III., gesta memoriae tradidit, in eius curia fuisse, innuunt verba: *In Curia nostra Pragensi*, p. 444. Exstat eadem series, sed hac nostra multo breuior, etiam in Codice Metropolitano membranaceo, in quo Cosmas et Continuatores, ac Franciscus descripti sunt, ad finem Continuationum, manu seculi XIV., sed haec cum Ernesto eo loco, quem p. 440. notauimus, desinit. Quam, vti et duas alias, quarum vnam Berghauerus in Proto-Martyre p. 100. e manuscripto Codice Hilarii Decani, Registrum fundationum et Altarium Ecclesiae Pragensis dicto, alteram vero Cl. Dobnerus ex iam laudato Codice Stehlikiano, ediderunt, cum nostra, quae ampliores memorias continet, contulimus, discrepantiasque aliquot adnotavimus.

Codex manuscriptus chartaceus in 4to, ex quo series haec desumta est, varia continet, nec ab vna manu, nec eodem tempore scripta, quorum indicem anno 1458. contextum, operique praefixum hic inserimus:

In isto Volumine ista continentur,

primo:

Cronica Martimiani, descendendo per Imperatores, Pontifices Romanos vsque ad Karolum et Papam Clementem Sextum.

Item

Item excerptum de Cronica Boemorum per Iudices, Reges et Epiſcopos. Atque illud eſt, quod vtramque ſeriem Ducum et Regum, ac Epiſcoporum et Archiepiſcoporum comprehendit.

Item de Iohanne Presbytero Rege Indiae.

Item biſtoria de magno Karolo.

Item biſtoria de ſancto Longino.

Item deſcriptio terrarum, de geſtis Tartarorum, Odorici de foro Iulii.

Item Cronica diuae memoriae Karoli Imperatoris. Eſt Commentarius de vita Caroli IV. deſcriptus an. MCCCLXXXXIX. *feria ſecunda ante feſtum S. Viti Martyris glorioſi*, vt habet libri clauſula; editus a Frehero.

Item de coniugio praуae vxoris.

Item Prophetia Sibillae mirabilis.

Item terribile miraculum de Vdone, Epiſcopo quondam Maydburgenſi.

1458. *in die Katherinae.*

IV.

De Chronico Bohemico, quod latinitate donauimus, iam ſupra egimus; illud hic addendum videtur, Orthographiam, vagam vtique et inſtabilem eius ſeculi

culi, nos ſtudio retinuiſſe; vocabulaque pauca, parentheſibus incluſa, ad regulas hodiernae orthographiae expreſſa, adieciſſe, qua re Lectores iuuare voluimus.

Tomo I. in Praefatione p. XXXI. lin. 10. ſcribendum fuit: D. Ioh. Georgius *Nobilis de Schwandner, Conſiliarius Caeſareo-Regius.*

Scribebamus Pragae MDCCLXXXIV.
Calend. Aprilis.

FRANC. MARTINVS PELZEL
ET
IOSEPHVS DOBROWSKY.

CHRO-

CHRONICON FRANCISCI.

Anno Domini LXXX. *a)* floruit ſanctus *Dioniſius* Ariopagita.

Anno Domini CCXX. floruit *Origenes* Magnus.

Anno Domini CCCXL. floruerunt ſancti *Nicolaus* et *Criſoſtomus*.

Anno Domini CCCLXXX. floruerunt ſancti *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*.

Anno Domini D. floruit ſanctus *Benedictus* Abbas.

Anno Domini DLXV. ſanctus *Mauritius* migravit ad Chriſtum.

Anno Domini DXC. floruit ſanctus *Gregorius* Papa.

Anno Domini DCXC. floruit venerabilis *Beda*.

Anno Domini DCCLXX. fundatum eſt Monaſterium Vuldenſe per ſanctum *Bonifacium* Magguntinenſem Archiepiſcopum.

Anno Domini DCCLXXX. ſtudium generale ab Vrbe Romana eſt translatum Pariſius.

Anno Domini DCCCXCIIII. *Borziwoy* Dux Boemiae baptiſatus eſt, et iſte eſt primus Princeps Chriſtianus in Boemia.

Anno Domini DCCCCXI. incepit ordo Cluniacenſis ſub *Odone* Abbate.

Anno Domini DCCCCXXV. ſanctus *Wenceslaus* eſt occiſus.

a) XXX. ſunt leni calami ductu transfoſſa.

Anno Domini DCCCCLXXV. ſanctus *Adalbertus* martyrio coronatur.

Anno Domini MXCII. incepit ordo Cartuſienſis ſub *Brunone* Abbate.

Anno Domini MXCVIII. incepit ordo Ciſtercienſis ſub ſancto *Roperto* primo Abbate.

Anno Domini MXCIX. incepit ordo Praemonſtratenſis ſub Abbate *Wiperto.*

Anno Domini MCIIII. *Leupoldus* Pius, Marchio Auſtriae, accinctus eſt gladio militari.

Anno Domini MCVI. Idem *Leupoldus*, Marchio Auſtriae., *Agnetem* filiam Imperatoris duxit in vxorem.

Anno Domini MCXIIII. incepta eſt fundari Neunburgenſis Baſilica. Et Dominus *Otto*, eiusdem loci Praepoſitus, lapidem primarium poſuit, quod *Leupoldus* Marchio facere noluit, affirmans id ad Clericos pertinere.

Anno Domini MCXVI. IIII. Non. Ianuarii terrae motus factus eſt magnus per vniuerſam Theutoniam et Italiam.

Anno Domini MCXXXIII. IIII. Non. Auguſti Eclipſis ſolis factus eſt, et tenebrae factae ſunt.

Eodem Anno Canonici ſeculares a loco Neunburgenſi amoti ſunt, et Regulares beati Auguſtini ſubſtituti.

Anno Domini MCXXXVI. Monaſterium in Neunburg dedicatum eſt a Salczburgenſi *Chonrado*, Pathauienſi *Reymaro*, Gurgſenſi *Romano.* Eodem Anno *Leupoldus* Marchio Fundator Eccleſiae Neunburgenſis obiit.

Anno Domini MCLI. *Gratianus* et *Petrus* floruerunt, qui decretum et libros Sententiarum compoſuerunt.

Anno Domini MCLVI. *Fridericus* Imperator ordinatur Romae ab *Adriano* Papa.

Eodem

Eodem Anno Marchionatus Auſtriae mutatur in Ducatum. Eodem Anno ordinantur Regulares Canonici in Salczburch. Eodem Anno *Leupoldus* Dux Auſtriae Iheroſolimam iuit, et inde rediens partem ſanctae crucis ad menſuram virilis manus ſecum apportauit.

Anno Domini MCLXXXVIII. *Fridericus* Imperator volens ire Iheroſolimam periit in mari.

Anno Domini MCXCIII. *Richardus* Rex Angliae a *Leupoldo* Duce Auſtriae captiuatur Wiennae.

Anno Domini MCXCVIII. incepit ordo Praedicatorum ſub ſancto Dominico.

Anno Domini MCCII. ſancta *Gungundis* de thumulo transfertur.

Anno Domini MCCVI. incepit ordo Fratrum Minorum.

Anno Domini MCCVII. *Gerdrudis* Regina Hungariae occiditur.

Anno Domini MCCXXX. *Leupoldus* Dux Auſtriae obiit.

Anno Domini MCCXXXI. oppoſuerunt ſe Domini de *Chunring* Duci *Friderico*, qui ſequenti anno apud Scotos miles efficitur.

Anno Domini MCCXXXIII. *Fridericus* Dux Auſtriae Caſtrum Wetow in Boemia occupauit, et Rex Boemiae fugit.

Anno Domini MCCXXXIIII. *Fridericus* Dux Auſtriae ſororem ſuam *Conſtantiam* Marchioni Miſnenſi copulauit.

Anno Domini MCCXXXVI. *Fridericus* Imperator ſententia Principum condempnauit *Fridericum* Ducem Auſtriae eo, quod ad curiam venire contempſit.

Anno Domini MCCXXXVIII. *Fridericus*, Imperator intrauit Auſtriam, et *Conradus* filius eius venit in Danubio cum magno comitatu.

Anno Domini MCCXL. Ciuitas Wienna cum tota Auſtria reuerſa eſt ad Ducem *Fridericum*.

Anno Domini MCCXLI. obſcuratus eſt ſol nimis, et fecit tenebras magnas. Et eodem Anno Thartari totam Vngariam et Poloniam deuaſtauerunt.

Anno Domini MCCXLIIII. *Fridericus* Dux Auſtriae filiam Ducis de Meran repudiauit.

Anno Domini MCCXLV. *Fridericus* Dux Auſtriae interfectus eſt in praelio, poſt cuius obitum *Hermannus*, Marchio de Paden, intrauit Auſtriam, et duxit vxorem filiam Ducis *Henrici* de Medliçh, voluitque eſſe Dux, et non valuit.

Anno Domini MCCXLVI. occiſus eſt *Fridericus* Dux Auſtriae.

Anno Domini MCCL. *Fridericus* Imperator obiit, et ſequenti anno Clerici Pariſius interficiebantur a Paſtoribus.

Anno Domini MCCLII. *Ottakarus* Rex Boemiae duxit *Margarethan*, quondam Romanorum Reginam, et ſibi Auſtriam ſubiugauit.

Anno Domini MCCLIII. obiit Rex *Wenceslaus* Boemiae Monoculus, Pragae ad ſanctum Franciſcum ſepultus eſt.

Anno Domini MCCLIIII. *Ottakarus* Rex Boemiae cum *Bela* Rege Vngariae reconciliatur, et eodem Anno verſus Pruſiam proficiſcitur.

Anno Domini MCCLVII. *Ottakarus* Rex Boemiae vincitur circa Muldorf.

Anno Domini MCCLX. *Ottakarus* Rex Boemiae vicit in bello Regem Vngariae.

Anno Domini MCCLXI. Flagellatores ſurgunt, et Rex Boemiae vincit Vngaros.

Anno Domini MCCLXXIV. Concilium generale celebratur in Lugduno. Eodem Anno *Ottakarus* Rex Boemiae cum *Stephano* Rege Vngariae reconciliatur.

Anno

Anno Domini MCCLXXVI. *Rudolphus* Romanorum Rex intromittit ſe de Auſtria et Stiria. Et

Anno Domini MCCLXXVIII. occidit *Ottakarum* Regem Boemiae.

Anno Domini MCCLXXXI. *Albertus* filius *Rudolphi* Regis Boemorum efficitur Dux in Auſtria.

Anno Domini MCCXCI. fundata eſt Abbatia Aulae Regiae.

Anno Domini MCCXCVII. in die Pentheceſtes *Wenczeslaus* ſecundus, Rex Boemorum ſextus, eſt Pragae glorioſiſſime coronatus, et in craſtino illius ſolempnitatis primum lapidem poſuit in noua Eccleſia Aulae Regiae in praeſentia multorum Principum.

Anno Domini MCCXCVIII. occiſus eſt *Adolphus* Rex Romanorum per *Albertum* Ducem Auſtriae, qui ſibi ſucceſſit in imperio.

Anno Domini MCCCV. obiit *Wenczeslaus* Rex Boemiae, Fundator Aulae Regiae, ibidemque ſepultus eſt.

Anno Domini MCCCVI. *Wenczeslaus* Boemiae, Vngariae, et Poloniae Rex, occiſus in Olomucz, et ibi ſepultus, tandem per ſororem ſuam *Elizabeth* ad Aulam Regiam *b)* deportatus, et ibi ſepultus.

Anno Domini MCCCVII. obiit *Rudolphus* Rex Boemiae, qui fuerat Dux Auſtriae, in Eccleſia Pragenſi ſepultus eſt.

Anno Domini MCCCVIII. occiſus eſt *Albertus* Rex Romanorum.

Anno Domini MCCCX. *Iohannes, Henrici* Imperatoris filius, Comes Lucenburgenſis, duxit *Elizabeth* filiam Regis Boemiae, et factus eſt Rex Boemiae, a cuius aduentu fugit *Henricus* Dux Karinthiae, qui tribus annis occupauerat Boemiam.

b) *Aulam Regiam* ab alia manu, antiqua tamen, apparentibus adhuc raſurae veſtigiis.

Anno Domini MCCCXIII. *Henricus* Imperator Romanorum veneno ſumpto in calice moritur, et in Piſa ciuitate ſepelitur.

Anno Domini MCCCXIIII. duo Reges Romanorum ſub diſcordia eliguntur, videlicet *Fridericus* Auſtriae, et *Lodeuicus* Bauariae Duces, qui multa praelia pariter commiſerunt. c)

Anno Domini MCCCXVII. ex magnitudine frigoris et niuis facta eſt cariſtia maxima, et peſtilentia hominum, et bratorum animalium infiniti, et facta eſt tunc miſeria inaudita.

Anno Domini MCCCXXII. *Fridericus* Rex et *Henricus* frater eius, Duces Auſtriae, per *Lodeuicum* Bauarum in praelio capiuntur.

Anno Domini MCCCXXVIII. Papa Sciſmaticus per *Lodeuicum* Bauarum Romae ordinatur, qui

Anno Domini MCCCXXX. *Iohanni* Papae ſe ſubiecit, et gratiam adinuenit.

Notandum, quod iſti fuerunt Duces Boemiae primitus.

Primus Dux	—	—	*Przſemysl.*	Pagani.
Secundus Dux	—	—	*Nezamysl.*	
Tertius Dux	—	—	*Mnata.*	
Quartus Dux	—	—	*Woyn.*	
Quintus Dux	—	—	*Vneslaus*	
Sextus Dux	—	—	*Crzeſſomysl.*	
Septimus Dux	—	—	*Neklan.*	
Octauus Dux	—	—	*Hoſtyuit.*	

Supra dicti Duces Boemiae omnes fuerunt Pagani.

Primus Dux Boemiae Chriſtianus fuit *Borzivoy*, quem baptiſauit *Methudius* Epiſcopus Moraviae cum vxore ſua ſancta *Ludmilla*, ex qua natus eſt *Wratislaus*, pater ſancti *Wenceszlai*

An-

c) Addidit hic : *Sed tandem Dux Auſtriae victus*, longe recentior manus.

Anno Domini octingenteſimo nonageſimo quarto.

Secundus Dux Chriſtianus *Spitigneus.*
Tertius Dux — *Wratislaus.*
Quartus Dux — ſanctus *Wenczeslaus* et Martyr.
Quintus Dux — *Boleslaus* ferus et fratricida.
Sextus Dux — *Boleslaus* Pius, Creator Epiſcopatus Pragenſis.
Septimus Dux — *Boleslaus* Mitis.
Octauus Dux — *Wladiwoy*, de quo nihil boni legitur.
Nonus Dux — *Ieromir.* } Fratres
Decimus Dux — *Odalricus.* } vterini.
Vndecimus Dux — *Brzecislaus*, qui quinque filios habuit.
Duodecimus Dux — *Spitigneus* dilatator Eccleſiae Pragenſis.
Tertius decimus Dux — *Wratislaus*, primus Rex Boemiae. Anno Domini MLXXXVI. coronatur in Regem, regnauitque VI. annis poſt coronationem. } Rex.
Quartus decimus Dux — *Conradus*, qui tres fratres habuit.
Quintus decimus Dux — *Brzeczislaus.*
Sextus decimus Dux — *Borziwoy.*
Decimus ſeptimus Dux — *Swatopluk.*
Decimus octauus Dux — *Wladislaus.*
Decimus nonus Dux — *Sobeslaus.*
Viceſimus Dux — *Wladislaus*, ſecundus Rex Boemiae, Fundator Eccleſiae Strahouienſis. Anno Domini MCXLIX. coronatur in Regem, regnauit quatuor annis poſt coronationem. } Rex. Vice-

— Viceſimus primus Dux — *Fridericus.*
Viceſimus ſecundus Dux — *Sobeslaus.*
Viceſimus tertius Dux — *Conradus.*
Viceſimus quartus Dux — *Henricus* et Epiſcopus Pragenſis.
Viceſimus quintus Dux — *Wladislaus.*
Viceſimus ſextus Dux — *Przſemysl*, qui et *Ottakarus*, Rex Boemiae tertius. Anno MCC. coronatur in Regem, regnavit XXVIII. annis poſt coronationem. } Rex.
Viceſimus ſeptimus — *Wencezslaus* Rex Boemiae quartus, qui fundauit Monaſterium ad ſanctum Franciſcum in Praga, monoculus fuit. Anno Domini MCCXXVIII. coronatur in Regem, regnauit XXIIII. annis poſt coronationem. } Rex.
Viceſimus octauus — *Przſemysl* ſiue *Ottakarus*, Fundator Monaſterii ad ſanctam Coronam, Rex Boemiae quintus. Anno Domini MCCLX. coronatur, regnavit XVII. annis poſt coronationem. } Rex.
Viceſimus nonus — *Wencezslaus* piiſſimus Fundator Aulae Regiae, Magnificus Rex Boemiae ſextus. Anno Domini MCCXCVII. coronatur in Regem, regnauit VIII. annis poſt coronationem. } Rex.
Triceſimus et ultimus de Proſapia Principum Boemiae progenitus, *Wencezslaus* Iunior, Rex Boemiae ſeptimus, occiſus et ſepultus in Olomicz, tandem per ſororem ſuam *Elizabeth* ad Aulam Regiam *d)* deportatus, et ibi ſepultus. } Rex.

Iſti

d) Aulam regiam ab alia manu, eraſis iis, quae primum ſcripta erant.

Iſti ſunt Reges Boemiae naturales, et Reginae vxores ipſorum.

ex *Wratislaus.* — Regina *Swatawa* vxor.
ex *Wladislaus.* — Regina *Iudita.*
ex *Przſemysl Ottakarus.* Regina *Conſtantia.*
ex *Wenceszlaus.* — Regina *Chungundis.*
ex *Ottakarus.* — Regina *Chungundis.*
ex *Wenceszlaus* — Regina *Guta.*
ex *Wenceszlaus* — Regina *Phiolka* de Polonia vxor ſua.

Poſt naturales Principes Boemiae iſti fuerunt.

rimus *Rudolphus*, Dux Auſtriae, qui medio anno regnauit ſine coronatione.
ecundus *Henricus*, Dux Karinthiae, qui tribus annis confuſe regnauit.
ertius *Iohannes*, Imperatoris filius, Comes de Luczenburch, Rex coronatus.

Reges alienigenae cum vxoribus eorum Reginis.

udolphus, Dux Auſtriae. — *Elizabeth* vxor.
enricus, Dux Karinthiae. — *Anna* vxor.
ohannes, Comes de Lucenburch *Elizabeth* vxor.

Notabile de nationibus Regum Reginarumque Boemiae.

Anno Domini MCCLXXI. in die beatorum Maryrum Cozmae et Damiani natus fuit *Wenceszlaus* nclytus Rex Boemiae. Eodem anno nata eſt Donina *Guta* Regina Boemiae circa feſtum beatae erdrudis. Anno Domini MCCLXXXVII. idem lex Dominam *Gutam* Reginam Boemiae ante ſibi oniunctam matrimonialiter traduxit, et in die

ſancti

— ſancti Procopii Pragae in ſede Regni ſui eam honorifice collocauit. Anno Domini MCCLXXXVIII. in die beati Iohannis ante Portam Latinam natus eſt eidem Domino Regi filius ſuus primogenitus, *Przſemysl* ſiue *Ottakarus*, anno aetatis ſuae XVII, qui eodem anno in die ſanctae Eliſabeth obiit, et ſepultus eſt in Eccleſia Pragenſi.

Anno Domini MCCLXXXVIIII. in octaua beati Michaelis anno aetatis ſuae XVIII. nati ſunt duo gemini, *Wenceszlaus* et *Agnes*. Et ſequenti anno Idus Octobris nata eſt *Anna* praedicti Regis filia.

Anno Domini MCCXCII. in die beatorum Martyrum Fabiani et Sebaſtiani nata eſt *Elizabeth* filia Regis.

Anno Domini MCCXCIII. in translatione beati Wenceszlai Martyris nata eſt Domina *Guta* filia Regis, et ſequenti anno IIII. Kalend. Martii natus eſt *Iohannes* filius Regis, et obiit quarto die et ſepultus in Aula Regia. Eodem anno obiit *Guta* filia Regis in die inuentionis ſancti Stephani. Et ibidem ſepulta.

Anno Domini MCCXCV. in die beati Benedicti Abbatis natus eſt *Iohannes* ſecundus filius Regis, et ſequenti anno XI. Kalend. Martii nata eſt *Margaretha* filia Regis. Eodem anno obiit *Iohannes* ſecundus Regis filius in die beati Nicolai, et ſepultus eſt ad ſanctum Clementem apud Praedicatores. Eodem etiam anno XVI. Kalend. Iunii obiit illuſtris foemina Domina *Agnes* ſoror Regis Boemiae, Duciſſa Auſtriae, relicta Ducis *Rudolphi* Romanorum Regis filii, et ſepulta eſt in Eccleſia ſanctae Clarae ordinis fratrum minorum apud ſanctum Franciſcum in Praga, cor vero eius in Aula Regia eſt ſepultum.

De hiis Regibus fit mentio.

Notandum, quod iſta pars Cronicae conti- t plus quam LX. annos, a Rege *Wenceslao* Mo- culo incipiendo vſque ad Regem *Iohannem* Boe- iae.

Horum Regum geſta hic deſcribuntur.

egis *Wenceslai* Monoculi primi.
egis *Przemysl* ſecundi.
egis *Wenceslai* Boemiae et Poloniae tertii.
egis *Wenceslai* Boemiae, Poloniae et Vngariae quarti.
ex *Rudolphus* quintus Boemiae, Dux Auſtriae.
ex *Henricus* Boemiae ſextus, Dux Karinthiae.
ex *Iohannes* Boemiae ſeptimus, Comes Lucenburgenſis.

De hiis Papis fit mentio.

De *Coeleſtino*, De *Bonifacio*. *Benedicto*. De emente. De *Iohanne*.

De hiis Regibus etiam fit hic mentio.

De *Rudolpho*. *Adolpho*. *Alberto*. *Henrico* mperatore. *Lodeuico* et de *Friderico*.

Incipit Prologus ſecundi tractatus Cronicae Pragenſis, deinde Capitula eius.

Venerabili in Chriſto Patri, et Domino ſuo Spirituali, Domino Iohanni Dei gratia IIII, Pragenſi Epiſcopo XXVII. Orationes fideles, et in futuro eſſentiam ſanctiſſimae Trinitatis aeternaliter contemplari. Mandatis Veſtrae Reuerendae Paternitatis toto cordis affectu cupiens obedire, vitam, ſtatus, acta et mores Regum Boemorum, et Epiſcoporum, ac aliorum Principum Boemiae, et veſtra praecipue acta et opera ſalùtifera ammiratione digna, quae nullus fecit Anteceſſorum veſtrorum, ſcriptis ſtudioſius volo declarare, hoc opus ſubiciens et committens veſtrae correctioni. Nam Deus glorioſus vos ditauit bonis naturalibus et gratuitis, ſcientia et ſapientia, et mira diſcretione, et quia ſtudioſarum mentium ſolet eſſe varia conſuetudo, ſunt enim multi, qui literali intelligentia, vt illam complete habeant, efficaciter laborant; ſunt et alii, qui anagoicis, allegoricis, et myſticis intellectibus et tropoloicis ſenſibus affectuoſo ſtudio ſe inclinant, alii in yſtoriis, et cronicis legendo aedificatorium ſolatium ſibi parant, et in omni materia, quam legit pia mens, ad ſimilitudinem argumentoſae apis ſemper inuenire poterit, vnde legens virtutis et cognitionis ſuſcipiat incrementum. Bona enim mens in lectionibus velut in ortis deliciarum paſcitur, in eis quaſi roſas vel lilia colligit, cum id, quod legit, totum ad Dei, vel proximi dilectionem, et propriam ſui emendationem applicat et reducit. Quamuis aſſerat Philoſophus, quod de fabulis et fabuloſis ſermonibus non ſit dignum ſtudio intendere, tamen aliquando ſerioſa veritas ex alluſione iocoſi

ſer-

ſermonis ſit legentibus plus iocunda, iuxta illud Poeticum:

Dulcius arrident ſeria picta iocis.

Vnde non ſolum pure Theoloica, ſed etiam alia conferunt legentibus vtilitatem, et ſolet homo virtuoſus ſtudium ſuum ſecundum circumſtantias temporis alternare, vt nunc ad ſublimia, nunc ad humilia, nunc ad myſtica, nunc ad groſſiora ſe transferat et exempla. Et quia in praeſenti tractatu multa ſunt bona documenta et exempla, quae valent ad effectum vtilem et multiformem; vnde, Pater Reuerende, Veſtra virtus magnifica ad vtilitatem aliorum ſe diffundit, cum praeſens opus vtile, non ſolum pro Eccleſia Veſtra Pragenſi, ſed ad profectum totius Cleri Veſtrae Dioceſis, et populi ſcribere procuraſtis, tanquam excellens cauſa efficiens ſuos effectus ad finem optatum perducendo.

Hic autem tractatus eſt compilatus ac Venerabili in Chriſto Patri et Domino, Domino *Iohanni* IIII. Pragenſi Epiſcopo XXVII. praeſentatus anno Domini Milleſimo CCCXL. primo, Anno vero ordinationis ſuae XL.

Incipiunt Capitula ſecundi tractatus.

De actibus Regis *Wenceszlai* Monoculi, et de morte eiusdem I.
De actibus Regis *Przſemisl* II.
Quomodo Rex *Przſemisl* ad apices Imperatoriae dignitatis fuit vocatus, et de eius regali magnificentia, virtute et morte III.
De malis, quae poſt mortem Regis *Przſemysl* acciderunt IIII.
Quomodo Rex *Wenceszlaus* fuit ad Regnum Boemiae reuocatus, et de pluribus eius actibus V.
Quomodo Rex Boemiae ipſum Regnum ab Imperatore in feudo accepit, et quomodo ſe ipſum rexit VI.
Quomodo iterum Rex Boemorum Regem Romanorum viſitauerit, et de circumſtantiis eius VII.
Quomodo Rex Boemorum Crakouiam iuerit cum exercitu magno, et quomodo praecinctus fuit gladio militari VIII.
Quomodo Dux Auſtriae Regi fuit reconciliatus IX.
De Solempnitate coronationis glorioſi Regis *Wenceszlai* X.
De apparatu pretioſo ad coronationem Regiam adaptato XI.
Quomodo Rex ſequenti die coronationis ſuae nouam Eccleſiam fundauit XII.
De morte inclytae Dominae *Gutae* Reginae Boemiae XIII.
Qualiter Rex Poloniam intrauerit, et in Gneſia fuerit coronatus XIIII.
Qualiter *Elizabeth* filia Regis Poloniae Regi nupſerit, et qualiter fuerit coronata XV.

Quo-

Quomodo Dominus *Iohannes* IV. Pragenſis Epiſcopus XXVII. fuit in Epiſcopum electus et conſecratus XVI.
De morte inclyti Regis *Wenceszlai* XVII.
Quomodo iuuenis *Wenceszlaus* Patri ſucceſſit in Regno, et quomodo fuit occiſus XVIII.
Quomodo *Rudolphus* Dux Auſtriae, filius *Alberti* Regis Romanorum, electus fuit in Regem Boemorum, et de eius morte XVIIII.
Quomodo *Henricus* Dux Karinthiae in Boemiam ſit reuerſus, et quomodo regnauerit XX.
Quomodo *Elizabeth*, filia Regis *Wenceszlai*, vocata fuerit ad praeſentiam Regis Romanorum XXI.
Quomodo Imperator filio ſuo in Spira et virgini *Elizabeth* ſolempniter peregerit feſtum nuptiarum XXII.
De circumſtantiis miſſionis in Boemiam *Iohannis* primogeniti Imperatoris XXIII.
Quomodo *Iohannes* filius Imperatoris cum exercitu valido Boemiam intrauerit, et Pragam expugnauerit XXIIII.
Quomodo Rex *Iohannes* pacem in Regno Boemiae ordinauerit, et coronatus fuerit XXV.
Quomodo Rex *Iohannes* Morauiam intraverit, ipſamque pacificauit XXVI.
Quomodo Rex *Iohannes* in Nuereberch curiam celebrauit XXVII.
Quomodo idem cum exercitu magno in Vngariam proceſſit XXVIII.
Quomodo idem ex inductu Baronum terrae iuſſit Theutonicos multos exire de Regno XXVIIII.
Quomodo idem cum ſuo Patruo Archiepiſcopo Treuerenſi aduerſus *Fridericum* Ducem Auſtriae pugnauerunt XXX.

De vocatione ad curiam Romanam Venerabilis Domini *Iohannis* IIII. Pragenſis Epiſcopi XXVII. et de eius actibus glorioſis XXXI.

CAPVT I. e)

De actibus Wenceszlai Monoculi, et de eius occaſu.

Quoniam ſtatus et mores et actus in prima parte Cronicae Pragenſis Ducum et Principum et Dominorum Regni Boemiae deſcripti ſunt ſufficienter, nunc vero in ſecunda parte praedictae Cronicae Pragenſis ſereniſſimorum Principum et Dominorum, Regis *Wenceszlai* Monoculi et filii ſui, Dominorum Epiſcoporum, et aliorum nobilium virorum Regni Boemiae, ſecundum mandatum et informationem veſtram, O Pater Venerande, ſcriptis ſtudioſius cupio commendare. Qui quidem Rex *Wenceszlaus* mira ſollicitudine et frequentia in venationum exercitiis delectabatur. Quadam die eo in nemore feram inſequente ramo arboris in oculo fuit grauiter offenſus, quem medici et cirurgici curare volentes, ipſum laeſum oculum recuperationis cauſa inciderunt, quapropter Rex in eodem oculo virtute viſiua fuit priuatus. Idem quoque Rex habuit duos haeredes, videlicet *Wladislaum* et *Przſemysl*. *Wladislao* ſeniori ſuo filio contulit Morauiae Marchionatum, quem cum pro tempore gubernaſſet, non poſt multum temporis ſpatium ſoluit debitum naturae. Poſt cuius deceſſum filio iuniori praedicto praefatum contulit Marchionatum, qui quidem immemor praeceptorum

e) Capita a recentiori manu litera C. et numeris appoſita notata ſunt.

rum Dei, et vſus conſilio prauorum, patri ſuo Regi memorato coepit eſſe inobediens et contrarius, totoque conatu rebellare, quem de Regno Boemiae expulit et eiecit cum auxilio Baronum et Nobilium, qui ſibi adhaerebant. Qui transiuit ad Marchionem Miſnenſem, conſilium et auxilium ab ipſo petiturus. Qui ſibi in auxilium dedit copioſam multitudinem armatorum, et reuerſus in Boemiam, cum filio ſuo circa Pontem ciuitatem praelium commiſit, et ipſum tum deuicit, et quia de bello effugerat, non fuit captiuitati mancipatus. Videns ſe patri reſiſtere non poſſe, humiliter ſe gratiae paternae ſubdidit et ſubmiſit, et ſic per Barones ſunt reducti ad concordiae vnitatem, quem pater ratione correctionis in caſtro Zwiekow poſuit, vt poenitentiam ageret de exceſſibus praetaxatis. Et idem Rex *Wenceszlaus* pecunias et theſaurum non dilexit, vnde aurum et argentum pro nihilo reputabat. Nam, cum aurifodinae in Gylowy tunc temporis vigerent, et bene prouenirent, quidam ibidem cultor et foſſor auri, cognomine *Slpiger*, vnam maſſam auri bene X. Marc. ponderantem Regi obtulit et praeſentauit, quam cubicularii recipientes ad lectum Domini Regis poſuerunt, in quo Rex plures noctes duxit. *f)* Tandem ait ſuis cubicularibus: Quid eſt hic! quod ego tribus noctibus oculos claudere non potui, nec dormire, forte aliqua ſortilegia ſunt hic poſita; aut factae ſunt incantationes ad ſompnum meum impediendum? Et lectum ſuum iuſſit moueri, in quo aliud non eſt inuentum, niſi maſſa auri praedicta, qua viſa Rex ait: Ecce iſte theſaurus peſſimus me in ſompno impediuit, et occaſio fuit vigiliarum, recipite, et cito ipſum a me alienate. Et ipſi cubicularii recipientes cum aliis familiaribus

f) Addendum videtur *inſomnes*.

bus Regis inter se diuiserunt. Vnde propter hoc et alia apparet ipsum Regem non fuisse auarum, nec curasse pecunias. Cui etiam pulsus campanarum fuit contrarius, ipsumque nimium abhorrebat, nam cum Pragensem, aut aliam ciuitatem fuit ingressus, nullus praesumpsit pulsare, quamdiu mansit in ciuitate.

Tunc temporis *Fridericus* Imperator volens cum suis Principibus habere colloquium, et curiam celebrare, literatorie eis mandando, vt omni dilatione procul mota ad ipsum conuenirent, specialiter ad Regem Boemorum literas dirigendo. Cum autem illuc peruenisset, Imperator conabatur, vt sibi castra et ciuitates quasdam resignaret, qui rationabiliter praehabito consilio cum suis hoc facere recusauit. Sed cum egressi fuissent de curia Imperatoris, Abbas de *Vulda* tangens leviter humerum Regis, ait ad eum: Si ego essem vicinus tuus, vellem compescere te, et obedientem Imperio efficere, Regulum humilem de te faciendo. Vnus autem ex Militibus Regis, nomine *Hogerius*, dedit praedicto Abbati alapam, et ait ei: Monache! non habuisti bonum paedagogum, qui te docuisset, Reges et Maiores te honorare; tunc cum magno rubore Abbas cum suis recessit. Propter hoc igitur et alias causas Imperator voluit Regem et praefatum Militem detinere. Hoc intelligens Rex iussit suis, vt armate se ad iter praepararent. Cum autem fuisset vocatus ad praesentiam Imperatoris, *Hogerius* praedictus, inuolvens gladium et cultellum cum pallio regali, viriliter fuit Regem subsecutus. Imperator quoque ait ad Regem: Dudum male de te cogitaui, se volens humiliare, nunc autem perducam hoc ad effectum. Rex vero ait ad eum: Nondum Domine habetis me in vinculis, nec sum impos membro.

brorum meorum, et mox arripiens cultellum, Imperatorem per ſuperiorem oram veſtimenti tenuit, et ait: Aut me cum meis illaeſum ſine omni impedimento abire ad Regnum meum permittas, aut nunc per me priuaberis tua vita. Imperator autem ſtupens ac tremens promiſit ſub iuramento facere, quod ipſe vellet et optaret. Miles quoque Regis praedictus ſtabat circa Regem gladium tenens euaginatum. Imperator vero vocatis ſuis omnibus ſub obtentu gratiae ſuae diſtricte mandauit, vt nullus Regem Boemorum nec verbo nec facto moleſtaret, ipſum nequaquam impediendo. Rex vero pacifice in Boemiam reuerſus ſuo fideli Militi *Hogerio* contulit, ſibi et haeredibus ſuis, Belinam caſtrum et ciuitatem cum ſuis pertinentiis perpetuo poſſidendam, hoc firmans ſuis priuilegiis et inſtrumentis.

Et tempore ipſius fuit Epiſcopus Pragenſis Dominus *Mikuſſius*, qui de humili progenie de Vgiezd ſub monte Petrino originem duxit, et quemadmodum Rex pecuniam odio habebat, ſic Epiſcopus aurum praecipue feruenter et ſtudioſe conquirebat, et conquirendo diligebat. Quadam autem die audiuerat in quibusdam aurifodinis grande granum auri adinſtar magni pomi ſeu pugni inueniſſe, pro quo quam plures nuncios miſit, et quociens quis portam curiae aperuit, inquirebat, vtrum intrans cum dicto grano aduenisſet, affectans hoc magno gaudio poſſidere, et cum ſibi allatum fuit, cum magna diligentia id cum alio theſauro fecit conſeruari. Et Rex *Wenceslaus* poſt multa acta et exercitia regalia et militaria, cum tempore autumpnali inſiſteret venationi, fuit valida infirmitate grauatus, et perueniens ad curiam ſuam Poczapel prope Weronam, ibidem de hac vita migrauit. Milites vero quidam, qui tunc aderant, hoc celantes

lantes, inteſtina ſua omnia excipientes, ibidem in Eccleſia ſepelierunt, corpus vero regale clam ad caſtrum Pragenſe deduxerunt, et ibidem ſub magna cuſtodia in turri poſuerunt. Si quis vero coram Rege negotia ſua vellet tractare, illi dixerunt, quod Rex medicinam ſumpſiſſet, et non valeret aliquibus negotiis occupari. Et mox miſerunt literas regio ſigillo ſignatas caute ad quosdam, qui caſtra regalia tenebant, et ad ſtipendiarios, quibus Rex obligauerat bona regalia, cum litem haberet cum filio ſuo *Przſemysl* Marchione in Morauia exiſtente. Qui viſis literis, quaſi mandatis regalibus obedientes, cum ad caſtrum Pragenſe veniſſent, ſigillatim ad corpus regale eos intromittentes captiuitati mancipauerunt, et ſic coacti bona regalia reſtituerunt, et deinde praetaxatum corpus regale ad ſanctum Franciſcum, in loco ſuae fundationis in Maiori ciuitate Pragenſi, honorifice ſepelierunt.

CAPVT II.

Poſt obitum Regis *Wenceszlai* filius ſuus *Przſemysl* ei ſucceſſit in Regno Boemiae, potens et ſtrenuus, qui ab adoleſcentiae ſuae tempore viriliter egit, et generoſitatem mentis regiae virtuoſorum operum magnificentia vndique decorauit, et ipſe Regnum ſuum ſapienter cupiens gubernare, fuit reipublicae ſedulus inſtaurator, leges condidit, et populum ſuum iuſtitiae regulis illuſtrauit, ſe ipſum exemplum viuendi caeteris conſtituens et exemplar, et Regni ſui incolis de pace ſatagens prouidere, vrbes coepit cingere muris, caſtra munire, et Baronum ſuorum liberos iuſſit tyrocinia exercere, et hoſtes qualiter deberent expugnare, et caeteros actus exercere militares. Tempo-

poribus quoque ipſius Eccleſiae Chriſti et mona-
ſteria in Regno profecerunt, et, terra fructum ſu-
um faciente, in pace Deo iugiter ſeruierunt. Et
ipſe Eccleſias fundauit, eas ſufficienter dotando, et
ab aduerſitatibus protegendo. Cum majori quo-
que diligentia monaſterium, quod vocatur ad ſan-
ctam Coronam Ordinis Ciſtercienſis, quod ipſe
fundauerat, ſufficienter ditauit, diuerſimode de-
corando. Et idem Rex *Przſemysl Margaretham*
ſororem *Friderici* Ducis Auſtriae in matrimonio
duxit, et fratre ſuo defuncto eidem ducatum Au-
ſtriae ceſſit. *Vlricus* quoque Dux Karinthiae hae-
redes poſt mortem non habuit ſucceſſuros, et
praedictum Regem adiit, et percepta pecunia Ka-
rinthiam, Karniolam, Marchiam, et Portum Nao-
nis poſt obitum ſuum ſibi iure perpetuo reſigna-
vit. Nobiles igitur earundem terrarum confluunt
ad Regem, et ei obedire fideliter praeſtito iura-
mento promittunt. Vnde Veronenſes, Treuiſini
cum aliis oppidis mari adiacentibus ipſum pro de-
fenſore fideliter elegerunt, et ſic quaſi palmites
ſuos vſque ad mare extendit et dilatauit, et di-
verſos inimicos ſuos tunc temporis deuicit po-
tenter, vtiliter triumphum obtinendo. Et quia
praedicta *Margaretha* ſterilis fuit, et ipſa obpro-
brium ſterilitatis Regi aſcripſit, aſſerens ipſum pro-
pter hoc ſterilem, quia natus in die ſancti Petri fuiſ-
ſet. Rex vero ait: Da mihi vnam de virginibus
tuis, et infra annum ex ea puerum generabo, cui
Regina praebuit aſſenſum. Rex vero inter caete-
ras virgines familiares vnam elegit, quae habebat
tonſuram virilem, et ideo *Palczierzik* vulgariter
vocabatur, et generauit ex ea primo anno filium, no-
mine *Nicolaum*, et poſtea filias plures, qui qui-
dem filius aetate adueniente Dux Opauiae fuit fa-
ctus. Vnde ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicae,
celebratoque diuortio, licet cum magno moero-

re, nomine *Chungundam*, Regis de Mazouia filiam, coniugem duxit, cum qua haeredes felices generauit. Et inter caeteras virtutes, quas Rex *Przſemysl* continebat, virtus largitatis in ipſo excellentius fulgebat; nam omnes Principes et Praelatos ſuos, incipiendo ab Archiepiſcopo Salczburgenſi, bis in anno ſolempniter veſtiebat, eleemoſynas largiſſimas faciendo; de thelonio quoque, quod habebat in Danubio, multi panni nobiles et diuerſi fuerunt ſibi in Boemiam adducti, ipſe vero noluit eos conuertere ad proprios vſus, ſed totum Clerum, qui erat in regno Boemiae, decentiſſime veſtiuit; nam quicunque venit ad eum, habens coronam et tonſuram clericalem, mox mandauit Domino *Gregorio* de *Drazicz*, nobili Viro, qui erat ſuus diſpenſator, vt eum veſtiret. Milites quoque et ſcutiferos bis in anno de exquiſitis veſtibus veſtiebat: Rex vero Thartharorum audiens de eius probitate, magnificentia, miſit ſibi dona regalia, et valde rara, aſſerens in literis ſuis, quod ipſum tanquam fratrem ſuum diligeret, volens ſibi in omnibus complacere. Rex autem *Przſemysl* magnifice nuncios honorauit, dona praedicto Regi precioſa transmittendo.

Specialiter quoque caſtrum Pragenſe de firmiſſimis muris, turribus et foſſatis muniuit diligenter, muros quoque diſponens ſic et cooperiens, quod de vna turri ad aliam per totum gyrum caſtri tranſitus erat ſub tecto, et ciuitatem etiam Minorem Pragenſem muris et foſſatis firmando ad ipſum caſtrum continuauit, in quo quidem caſtro Pragenſi habuit X. Caſtellanos ſiue Purcrauios, viros ſtrenuos et famoſos, quibus ita bene duxerat prouidendum, quod quilibet eorum circa minus poterat habere XXX. armatos pro praedicti caſtri defenſione, vel cauſa alterius imminentis neceſſitatis

tatis. Inter quos nobilis vir Dominus *Gregorius* de *Drazicz* ſtrenuus et famoſus ibi Purcrauius erat praecipuus, cuius filius, Dominus *Iobannes* IIII. diuina gratia diſponente in Pragenſem Epiſcopum fuit ſublimatus. Et iſti fuerunt etiam Purcrauii ibidem: *Mſtydrub* de *Chlum*, *Onſſo* de *Onſſow*, *Vlricus* de *Krzſiwſud*, *Domaſſlus* de *Kworcz*, qui et Subcamerarius erat, *Rudolphus* de *Sbraslauicz*, *Rapoto* de *Borczonicz*, *Sdislaus* de *Probonicz*, *Vlricus* frater ſuus, *Andreas* de *Riczano*. Et plurima caſtra et munitiones in Regno Boemiae, et alias in ſuo dominio conſtruxit et firmauit. Et loquebatur manifeſte, quod tot et tanta caſtra, municiones et commoda conſtruere vellet, quod filii ſui ea non ſufficerent cooperire.

Vir fuit vrbanus, conſtans ſermoneque planus.
Prudens, diſcretus, ſemper ſtuduit fore laetus.
In verbis tutus, raro fuit ipſe locutus
Aſpera, vel verba, quae turpe ſonant vel acerba.
Raro fuit triſtis, ſic ſemper vixit in iſtis
Mundanis rebus, quod noctibus atque diebus
In Chriſtum credit, nec ab eius laude recedit.

CAPVT III.

Quomodo Rex Przemysl ad apices Imperatoriae dignitatis fuit vocatus, et de eius regali magnificentia, virtute et morte.

Anno Domini MCCLXV. Rex *Przſemysl* ma- 1265.
gnificum conuiuium celebrauit filiae ſuae primogenitae pro baptizmo, quam tres Epiſcopi

1265. de fonte leuauerunt, Pragenſis, Olomucenſis, Branburgenſis, et hoc in die purificationis beatae Mariae Virginis, vocatis ad hoc feſtum omnibus Nobilibus Boemiae, Morauiae et Auſtriae. Et ipſo die Rex coronatus venit ad proceſſionem et miſſas audiuit ad altare ſanctae Mariae in Eccleſia Pragenſi, et biduo celebrauit conuiuium cum omnibus praedictis in caſtro Pragenſi. Et ſequenti anno VII. Idus Auguſti Rex proceſſit verſus Bauariam cum maxima multitudine armatorum Boemorum, Morauorum, Polonorum, Auſtralium, Karinthianorum, in quo itinere plurima dampna in Regno Boemiae fecerunt, rapinis, ſpoliis et incendiis. Terram Bauariae intrantes multo grauiora dampna intulerunt, ipſamque vſque ad Ratisponam crudeliter deuaſtantes, viros et mulieres plurimos concremantes.

1271. Et anno Domini MCCLXXI. menſe Auguſti miſſus eſt Colonienſis Archiepiſcopus, et alii cum eo plures Principes ad Regem *Przſemysl*, rogantes ipſum ex parte Electorum, qui habent eligere Regem Romanorum, ſiue eligendi poteſtatem, quatenus dignaretur aſſumere apices Imperatoriae dignitatis, quos Rex benigne et gratioſe ſuſcipiens, honeſtiſſime tractat infra aliquot ſpatia dierum, et conuocans ſuos Barones et Nobiles aetate et ſapientia fulgentiores, quid in hoc negotio eſſet faciendum; et conſilio praehabito Camerarius Regni Boemiae, *Andreas* nomine, ait: O Rex inuictiſſime! quis mortalium in terris tuae poteſt potentiae aequiparari? Deus in coelis, tu in terris dominaris, et non eſt, qui reſiſtat tuae voluntati. Et incognitae tibi ſunt, ad quas inuitaris diuerſarum gentium nationes, et rerum dubius eſt euentus; ſede in ſolio Patrum tuorum, tuum regnum et poteſtas per climata mundi famoſius dilatatur.

Rex

Rex autem hiis ſermonibus acquieſcens et recuſans 1271.
ad tantae dignitatis faſces aſſurgere, remunerat nuncios muneribus magnificis in auro, argento, gemmis precioſis, dextrariis, palefridis, et aliis clenodiis diuerſis, veſtiens eos et totam familiam eorum, et remiſit eos ad Electores cum vberiori gratiarum actione. Venerunt et plures nuncii ſimilia deferentes, quos Rex benigne ſuſcipiens, nequaquam petitionibus eorum acquieuit, ſed muneribus honoratos referens gratiarum actiones remiſit ad Electores. Et ſequenti anno Rex *Rudolphus* eſt ad Imperium ſublimatus.

Et eodem anno pons Pragenſis eſt confractus IIII. Idus Martii, et fuit maxima inundatio fluuii Multauiae, ita, quod extendit ſuos meatus vſque ad Eccleſiam ſancti Aegidii et ſancti Nicolai in foro pullorum, et multa dampna fecit. Et praefatus Rex Boemorum *Przſemysl*, quocienscunque contra quemlibet Regum vel Ducum mouit aciem belli, ſemper cum laudabili triumpho ad propria remeauit, et etiam in ſui principatus regimine zelo pietatis ſuccenſus, culpas ſuas recognoſcentibus pius indultor, viduarum non ſurdus auditor, orphanorum non tardus adiutor. Tempore quadrageſimali nocturno tempore ſolo ſeruo contentus latenter Eccleſiam ingreſſus, et ſuper pauimentum proſtratus tamdiu in orationibus perſeuerat, quoaduſque largo imbre lacrymarum fuit madidatum, et ante ſolis ortum vocat Officialem, cui commiſerat curam pauperum, requirit, an parata haberet omnia pro pauperibus enutriendis, erat enim mos eius omni die quadrageſimali D. pauperes paſcere, et per Dominum *Gregorium* de *Drazicz*, nobilem virum, in Paraſceue eosdem veſtiuit, et alios multos veſtire ſolebat; lauabat etiam pedes pauperum in coena Domini iuxta numerum

merum XII. Apoſtolorum, cuilibet dans ſolidum denariorum. Veniens etiam ad Eccleſiam Pragenſem perſonaliter aggreditur Sacerdotes, inducens eos ſuis precibus, vt miſſas cantent pro ſalute vivorum, alias pro fidelibus animabus defunctorum, nec non et miſſas votiuas de ſancta Trinitate, de Sancto Spiritu, de beata Virgine, de Patronis, et alias multas, ad manum autem cuiuslibet ſacerdotis miſſam dicentis offerebat II. aureos vel XII. argenteos, et ita largus fuit, quod non poteſt de facili enarrari erga Principes, mediocres et pauperes, et ſemper multitudo magna Nobilium et Militum et armatorum ipſum ſequebatur. Et ornatus regiae Capellae fuit de precioſiſſimis pannis auro textis et de purpura et biſſo, et omnia vtenſilia Capellae et menſae erant ex auro puro, quaedam et ex argento decentiſſime fabricata.

1276. Et anno V. electionis ſuae *Rudolphus* miſit nuncios ad Regem Boemiae, petens ſibi reſtitui terras, videlicet Stiriam, Auſtriam, Karinthiam, Portum Naonis, Forum Iulii, aſſerens ipſas ad Imperium pertinere. Ipſe vero aſſeruit propter cauſas diuerſas ipſas iuſte poſſidere. Huius rei gratia ambo Reges cum exercitibus ſuis circa Danubium in Auſtria conuenerunt, ipſum vero flumen in medio eorum decurrebat. Cumque ſeptem ebdomadas morarentur ibidem, videntes perſonarum et victualium defectus, ſub iuramenti interpoſitione conuenerunt ad quandam inſulam dictam *Chamberch* cum parua comitiua, et contractu praehabito foedus inierunt in contractu ſponſalium, videlicet, vt *Wenceslaus* filius Regis Boemiae filiam Domini *Rudolphi* Electi accipiat in vxorem. Et e conuerſo filius Electi filiam Regis Boemiae ſibi accipiat in vxorem. Hic contractus confirmatus fuit, et per vtriusque

Prin-

Principis iuramenti interpoſitionem in prae- 1276.
ſentia multorum Epiſcoporum et Principum et Nobilium perſonarum multarum. Fuerunt etiam inſtrumenta ſuper eodem contractu confecta, et multorum Principum pro teſtimonio ſigillis inſignita. Vnde Rex *Przſemysl* ſuorum conſilio inductus ſub ſpe vberioris gratiae obtulit ſibi V. vexilla in ſignum ſubiectionis, ſperans ſibi eadem cum terris reſtitui incontinenti. Ipſe vero conſilio praehabito duo vexilla ſibi reſtituit cum terris videlicet Boemiae et Morauiae, ponens eum ſub ſpe reſtitutionis, et his peractis cum pace ad propria remearunt. Acta ſunt haec Anno Domini MCCLXXVI *g)* XII. Kalend. Septembris.

Eodem tempore filia Regis, nomine *Clungundis*, ad ſanctum Franciſcum in clauſtro virginum ſanctae Clarae praecidit ſibi tricas, et vouit Deo virginitatem, induens griſeum mantellum, ex quo Rex multum turbatur et Nobiles Regni. Verum tamen de clauſtro recepta, poſtea ibidem tradita fuit religioni cum magna ſolempnitate cum XII. virginibus, quae excepta fuit de monaſterio per Regem *Wenceszlaum* fratrem ſuum, et tradita fuit in matrimonio Duci Mazouiae, cum quo plures pueros generauit. Ipſo defuncto fuit facta Abbatiſſa ad ſanctum Georgium in caſtro Pragenſi, cui monaſterio multa bona fecit. Rex vero *Przſemysl* propter terras praefatas ira motus congregauit maximam multitudinem bellatorum, et cum eis Auſtriam intrauit. Rex autem *Rudolphus* hoc audiens cum maxima multitudine diuerſarum gentium transfretato Danubio venit in eius occurſum, et miſit ſuos exploratores, qui viderunt, quod Rex non curaret de aduentu inimicorum

g) Scriptum erat LXXVIII. ſed duo II. deleta ſunt.

rum et ſui eſſent diſperſi valde huc et illuc pro praeda capienda, vnde repente irruit cum ſuis exercitibus ſuper improuiſos, et inhermes in modum ſemicirculi per ordinatas acies circumcingens, et cecidit ſuper Regem et militiam eius formido et pauor, et perterriti et ſtupefacti fugierunt, vnde quosdam vulnerauerunt, et quosdam occiderunt. Nobiles vero et Barones captiuitati mancipauerunt, et multi in flumine vicino ſunt ſuffocati. Rex vero *Przſemysl* etiam ibidem fuit interemptus. Factus eſt timor magnus et ingens turbatio per totum Regnum, nam ſpolia multa, et innumerabiles excuſſiones Eccleſiarum ſunt perpetratae, et monaſteria diuerſorum Ordinum ſunt grauata, et quaedam deſtructa, vnde omnes diuerſis doloribus ſunt afflictae. Incendia etiam diuerſa per totam Boemiam et Morauiam ſunt facta.

Facta eſt autem diſcraſia et diuiſio Regni Boemiae iuxta placitum Regis *Rudolphi* Electi Romanorum. Sed heu! afflictis afflictio additur, magnaque indignatio Dei extitit in Boemos, et praecipue in Rurenſes, ſicut aliquando populum Iſraeliticum delinquentem puniuit et afflixit. Errabant autem in montibus et ſpeluncis et cavernis terrae, in ſilvis et nemoribus ſe abſcondentes et res ſuas, donec tempore hiemali nix deſcenderet, et non poterant inueniri loca eorum habitationi, quia ab inimicis perſequentibus, tanquam a canibus indagatoribus, per veſtigia niui impreſſa, veluti ferae ſilueſtres, inuenti capiebantur, et multi cruciabantur propter pecuniam obtinendam, vnde rebus priuati et denudati in hieme ambulabant, in ſaccis et mattis ſua tegentes pudibunda, torti aculeis diuerſarum poenarum, et multi in fluminibus ſuffocati ſunt, alii trucidati,

alli-

alii occiſi gladio, alii vinculis mancipati, alii igne cremati, nonnulli etiam fame valida et frigoris afflicti aſperitate, et variis paſſionibus grauati ſpiritum exalabant, et licet Romae, et in aliis partibus mundi magna fuiſſet facta perſecutio in Chriſtianos, hic maior cauſa videtur extitiſſe. Illic homines diſparis cultus, quia Gentiles et Sarraceni contra Chriſtianos, hic viri baptizati, illos vt ſic in crudelitate excedebant; multi etiam Clericorum tam ſecularium, quam religioſorum et laicorum, qui hoſpitia conuenerant in munitis ciuitatibus, rebus ſunt expoliati, turbationibus atriti, variis percuſſionibus afflicti, doloribus et gemitibus ſunt arefacti, et in caſtro Pragenſi plurimi propter ſpem pecuniae ſunt mortificati, et ille locus ſolempnis multis foedis actibus tunc erat pollutus.

CAPVT IV.

De malis, quae poſt mortem Regis Przemisl acciderunt.

Rege *Przſemysl* occiſo Rex *Rudolphus* Boemiam intrauit. Per aliam partem *Otto*, Bramburgenſis Marchio, cum magno exercitu eandem eſt ingreſſus, quem praedictus Rex ad ſe fecit vocari. Diuerſis conſumatis tractatibus de conſenſu Baronum Boemiae, totius Regni eidem gubernacula commendauit, et Saxones cum Principe ſuo recipientes ſe in munitionibus, tutelam Regni aſſumpſerunt. *Wenceszlaus* vero filius Regis praedicto Domino *Gregorio* de *Drazicz* fuit commendatus; tandem Marchio puerum de manibus ipſius accipiens

— piens, ipſum in caſtro Bezdiez pro tempore collocauit, et ibi ab extranea gente multa ſuſtinuit aduerſa, et poſtea ſeptennis puer in Saxoniam ducitur, vbi diuerſas moleſtias cum defectibus ſuſtinuit et aerumpnas, quas tulit humiliter et patienter.

Incolae vero Regni Boemiae rebelles Saxonibus eſſe coeperunt, vnde gens genti molitur inſidias, totaque terra ſubiecta periculis per incendium deſtruitur et rapinas. Latrocinia plerumque frequentantur et ſpolia, et in breui tota terra facta eſt deſerta, diuites capiuntur, et pauperes occiduntur, iuuenes et virgines, ſenes cum iunioribus miſerabiliter opprimuntur, et fame vrgente tanta peſtilentia praeualuit in terra, quod homines variis herbarum generibus veſcebantur, et veluti pecudes moriebantur, et quidam cadavera cruda more canum deuorabant; et quaedam mulier oppreſſa nimia fame puerum ſuum comedere non formidauit, et in aſpectu filiorum fame pereunt parentes. Ex foetore quoque cadauerum aer inficitur, et multi propter hoc ſuffocabantur; Eccleſiae et monaſteria maximos et varios defectus patiebantur, cimiteria deficiunt pro ſepultura, et maximae foueae fodiuntur, in quas defunctorum corpora proiciebantur.

Proſtrati ſubito veluti pecudes moriuntur.
Maxima pars gentis moritur cito pane carentis,
Materiam flendi parat genus hoc moriendi,
Quo moriens comedit, et qui ſe viuere credit,
Ex iſta gente moritur comedendo repente. *b)*

CAPVT

b) *Repente* a recentiori manu additum.

CAPVT V.

Quomodo Rex Wencezslaus ad Regnum fuit reuocatus, et de pluribus eius actibus.

Clementia diuina fauente Regni Boemiae Nobi- 1283.
les Regem ſuum remitti a Marchione Bramburgenſi cum debita reuerentia petierunt; propter dampna vero, quae ipſe ſuſtinuit, quaedam ciuitates ſibi oblatae fuerunt et caſtra in V. millibus marc. et ſic puer ductus eſt in Boemiam, et laetitia magna ſit in populo vniuerſo, qui quidem a pueritiae ſuae tempore in ſe habuit timorem Domini, Sanctis debitum offerens honorem, eorum reliquias magno ſtudio congregauit, et auro et argento, gemmisque precioſis decorauit; in promiſſis ſe conſtanter tenuit, et auaritiae vitium ſibi nunquam permiſit dominari, et ſic tranſiit de virtute in virtutem, et tempore tonitrui et fulguris ſub reliquiis Sanctorum ſe abſcondebat, et eorum ſemper adiutorium requirebat. Per duorum quoque annorum ſpatium corpus ſuum veſte cilicina caſtigauit, et hoc feciſſet vlterius, ſi non fuiſſet redargutus. Verum tamen ieiuniis et orationibus carnem ſuam macerans, inimicorum a ſe latenter inſidias propulſauit, ſacerdotibus exhibuit honorem. Religioſos quoslibet iuxta ſuorum meritorum qualitatem honorauit, et aliis operibus adhaeſit virtuoſis. Mater vero eius per quendam Baronem, nomine *Zauiſſium*, decepta, ſtando in Morauia filium ex eo generauit. Hic, *Iohannes* nomine, ſeculum renuncians, in ordine Cruciferorum Chriſto militauit. Sed puer *Wencezslaus* materno affectu ſuperatus ipſam ad propria reuocauit.

— Ipſa quoque ad filium pro dicto *Zauiſſio* interceſſit, qui eius preces exaudiuit, et curam de curia Dominae Reginae totaliter aſſumpſit, et familiares ſuos in ſingulis officiis ſubrogauit, et de conſenſu matris Regem in magna cuſtodia coartauit, et nullus de factis ſuis finale reſponſum habere potuit, niſi *Zauiſſii* patrocinio fuiſſet adiutus. Rege tacente ipſe loquitur, et totius Regni ſolus pertractans negotia plus Rege frequenter timetur, ſolus diſponit omnia, ſibi ſoli obediunt vniuerſa, et ſolus officia Regni diſponit, et amici eius magnas inſolentias facere coeperunt de ipſo praeſumentes, hos conturbando, et illos ſubpeditando.

Sed quia *Wenceszlaus* haeres Regni Boemiae, *Guta* quoque filia Regis *Rudolphi* nondum erant apti connubiis, iſte de loco, vbi conuenerant, cum matre rediit ad propria; illa cum patre manſit vſque ad tempus aetatis delicatius educanda. Sed XV. anno aetatis Regis ſponſa ipſius ad Regnum inuitatur, et ipſa terram videns deſolatam vehementer expauit, et pauperes eſt conſolata, et ſponſus et ſponſa ſunt cauſa gaudii generalis. Supradictus quoque *Zauiſſius* Regem clamdeſtine fuit perſecutus, et propter ipſum, et alias cauſas rapinae et ſpolia in terra frequentantur. In magna igitur anguſtia cor Regis exſtitit, dum ex parte vna *Zauiſſii* fraudulentiam cognouit, et experimento didicit, ex alia vero parte quorundam Nobilium ſuorum inſolentias audit. Hoc Rex caute diſſimulans cum *Zauiſſio* exercitu coadunato in Morauia multos latrunculos et malefactores occiderunt, et ſic ibi caſtra impiorum contriuit, et conuenticula reproborum diſſipauit. Et XVI. anno aetatis Regis Regina puerum peperit, et ipſum *Przſemysl* nominauit, qui eodem anno de hoc mundo migrauit. Praefatus vero *Zauiſſius* ſoro-

rem

rem Regis Vngariae matrimonio duxit, et ſic Rex in maxima permanſit anxietate, quem in caſtro Pragenſi in breui cum ſuis fidelibus captiuavit, qui cum magno labore longo tempore tentus a fratre Regis *Nicolao* Duce ante quoddam caſtrum regale Hluboky, figens tentoria, quod cum renueret reſignare, *Zauiſſium* in ſuburbio mandavit decolare, et ipſi quendam Nobilem, nomine *Czenkonem*, etiam decolauerunt, et quia ipſum et propter alios Regis aduerſarios Rex Vngariae et Dux Wratislauiae dictum Regem debellare voluerunt, mira diuinae vlcionis ruina fuit ſubſecuta, nam infra vnius menſis ſpatium Rex Vngariae gladio corruit trucidatus. Dux Wratislauiae veneno periit interemptus, et quidam mali ad cor redientes a Rege veniam obtinuerunt.

O Rex attrite iam iam circumſpice, ſi te
Quis queat eripere vel ab iſtorum remouere
Fraudibus, hunc quaere, ſed et inuentum reuerere,
Vt tibi ſolamen dignetur ſiue iuuamen
Ad praeſens ferre, quod cuncta grauamina terrae
Fortis compeſcas, et ab eius fraude quieſcas,
Qui te turbare vult, aut forſan trucidare,
Cor gere tranquillum, mentemque transfer ad illum,
Vt te non ſpernat Regem, qui cuncta gubernat.
Nec ceſſare piam velis implorare Mariam,
Vt te turbatum faciat cito laetificatum.

CAPVT VI.

Quomodo Rex Wenczeslaus Boemiae ipſum Regnum ab Imperatore in feodo accepit, et quomodo ſe ipſum rexit.

1290. Anno Dominicae Incarnationis MCCXC, ipſe eſt annus *Wenceszlai* Regis Boemorum XXI. *Rudolphus* Romanorum generum ſuum Regem Boemiae voluit videre, qui ad ipſum venit cum Regina in Egram, quam pro dotalitio filiae ſuae obligauerat Regi Imperator, et fit magnum gaudium de eorum mutua viſione, et varia oſtentantur ſolatia deductionis. Et in medio laetantium Rex Boemiae regio cultu decoratus prodiit, et, vt Regnum ſibi iure feodali Romanorum Rex conferat, cum reuerentia poſtulauit, ipſe vero gratioſe hoc fecit et vexillorum adaptatis inſigniis laeta facie lege perpetua confirmauit. Tandem peractis diebus conuiuii Socer generum ad ſe vocans, praeſente filia ipſum regulam viuendi docuit, et multa ſalutaria documenta informauit, quomodo ad Deum, et ad homines deberet ſe habere, et iuſtitiam, et caeteras virtutes iugiter fouere, et omnia mala fugere, et bonis operibus adhaerere. Reuerſusque Rex in Regnum, Dominum *Arnoldum* Bramburgenſem Epiſcopum ad ſe vocauit, et iuxta ſuum conſilium ſtatum Regni ordinauit. Rex quoque in cunctis agendis Deo ſtuduit complacere, et diuinae legis verba et ſacrae ſcripturae cum ſumma diligentia conſueuit auſcultare, quatenus ex frequentia ſacrae lectionis proficeret in actibus bonis, et temporalium cogitationum impetum, motusque illicitos refraenaret, et manuum innocentiam

tiam conſeruaret cum munditia cordis, et tantam 129e.
gratiam ei contulerat virtus diuina, quod, licet elementa literarum non noſceret, omnia tamen et ſingula, quae de diuina pagina vel de aliis facultatibus audire contigerat eum, caeteris ſanius intellexit iugi memoriae commendando, et congrue protulit ſuam latinitatem, alios errantes in literatura corrigendo. Ex naturali induſtria rationabiliter contulit cum Magiſtris diuerſarum facultatum, eis varias quaeſtiones opponendo: cum Theologis de hiſtoriis, de iuribus, de caſibus, et cum Phyſicis diſſeruit de antidotis morborum, et Notariis perfecte tribuit materiam literarum ſcribendarum, et aſſidue circa ſe habuit confeſſorem, quoniam peccandi occaſio euidenter tollitur, quando confeſſoris intuitu properato ſcelere in mente hominis erubeſcentia renouatur, et tanto quisque plus in actibus proficit virtuoſis, quanto plus maculas criminum lauacro confeſſionis frequentius abluit et abſtergit. Horas quoque beatae Virginis cottidie cum ſumma diligentia decantauit, miſſam cum nota de praeſenti die integraliter ſtuduit audire, qua durante tres vel quatuor miſſas votiuas ſibi legi per ordinem procurauit. Communia Dei et Sanctorum officia cordetenus didicit miſſas audiendo. Alloquentibus eum nunquam vel raro voluit reſpondere, ſed flexo poplite et erectis ſurſum non tantum oculis, quam etiam manibus, Deum deuote conſueuit exorare, nam ſaepe orationis virtus perditur, dum terrenarum cogitationum mens ſtrepitu detinetur, et ſine omni accidia aliquando XVI. aliquando XX. vel plures miſſas audire conſueuit die vna, et poſt offertorium ad quamlibet miſſam obtulit vnum groſſum, manum Sacerdotis oſculando.

Hic Rex audiuit multas miſſas, quia ſciuit,
Quod mala commiſſa mox abluit hoſtia miſſa

Obſequio Cleri; ſtudeas ergo reuereri
Seruos altaris, ne morte mala moriaris.
Horas cottidie Rex decantare Mariae
Virginis attente conſueuit, vt ipſa repente,
Tempore mortis ei tribuat ſedem requiei.

CAPVT VII.

Quomodo iterum Wenceslaus Rex Boemiae Regem Romanorum viſitauerit, et de circumſtantiis eius.

Erat autem Regi Romanorum filius, nomine *Rudolphus*, Dux Auſtriae et Sueuiae, cui *Agnes* Regis Germana quondam nupſerat. Ipſum Rex inuitauit in Boemiam, et Dux cum Rege ſic pluribus in ſolatio manſit diebus, et in vigilia Aſcenſionis Domini eodem anno de hac vita deceſſit, et in Eccleſia Pragenſi ſepelitur, et obſequiae ſolempniter peraguntur. Et hiis temporibus ciues quidam Pragenſes nobilem virum *Zbislaum*, cognomine *Leporem*, propter quasdam moleſtias occiderunt. Mortuo quoque Duce Crakouiae Maiores natu Regem *Wenceslaum* pro Domino elegerunt. Ipſe vero tunc ad eos perſonaliter venire non potuit, quibusdam cauſis occupatus, ſed Dominum *Thobiam*, Pragenſem Epiſcopum, cum multitudine militum Crakouiam deſtinauit, vt ſe nomine ſuo intromitteret de terra.

1291. Eodem anno Rex Romanorum moritur, et in Spirenſi ciuitate ſepelitur, quo audito Rex cum Regina in gemitu vehementi fuerunt, exequiasque magnas et eleemoſynas largas fecerunt ſtudioſe.

Et

Et eodem anno igne familiari consumitur to- 1291.
ta ciuitas Pragensis, et ciuitas Akaron capitur a Saracenis, et hoc factum est propter dissensionem Cruciferorum, quae multa mala operatur.

Et eodem tempore Rex, vbi fuerat curia suae venationis, Zbraslaw nomine, Monasterium Ordinis Cisterciensis fundauit, et Aulam Regiam appellavit, et quia Dominus *Thobias* Episcopus asseruit dictam curiam esse Pragensis Ecclesiae, vnde Rex alias haereditates dictae Ecclesiae assignauit iuxta Nobilium terrae aestimationem. Et Abbate cum fratribus intronizatis, Anno Domini MCCXCII. ipse est an- 1292.
nus Regis XXII. in Dominica Misericordia Domini, quae tunc fuit XII. Kal. Magii, a Domino *Thobia* Episcopo Pragensi locus ibidem consecratur. Et Rex conuocatis Abbate cum fratribus CD. Marcarum redditus cum XXIIII araturis et sufficientia nemorum Deo, et beatae Virgini coram suis Nobilibus obtulit ex Regia liberalitate, instrumentis regalibus roborando, et XII. fratribus et eorum Abbati praedicta deuotius assignauit. Sed nunc ipsorum laudabilis numerus est excellenter multiplicatus, et Monasterium ipsorum miro et efficaci opere construitur, et diuersimode decoratur, et praedictis fratribus Rex dedit crucem auream cum gemmis preciosis ornatam, quam pro mille et CD. Marcis comparauerat, et multas monstrantias ex auro et argento cum reliquiis Sanctorum et ornatum multiplicem Ecclesiasticum preciosum cum multis calicibus argenteis. CC. quoque Mar. obtulit pro libris comparandis, et patribus Ordinis misit dona multa et preciosa, vt fundatio sua approbaretur, et vt Ordinis ei conferrent fraternitatem, quod factum est cum gratiarum actione, et pro salute eius Creatori omnium preces fundunt,

1292. Dicentes: Chriſte fac Rex pius viuat iſte
Laetus et illaeſus exaltetur, quaſi Croeſus
Diuitiis, vitae fac hunc conſumere rite
Curſum praeſentis, furor hoſtis eum vehementis
Nunquam turbare valeat, ſed magnificare
Ipſum digneris, qui corda fidelia quaeris,
Et tibi ſint grata ſua munera Virgo beata,
Protege, defendas hunc et ſibi cuncta rependas,
In facie Chriſti, quem Virgo manens peperiſti.

CAPVT VIII.

Quomodo Rex Crakouiam iuerit cum exercitu magno, et quomodo praecinctus fuit gladio militari.

Ad Regem nuncii veniunt, qui Ducatum Crakouiae, de quo ſe nouiter intromiſerat, non tam circumſedentium Principum, quam incolarum Nobilium inſidiis inceſſanter vaſtari, lingua et literis narrauerunt. Rex igitur Domino *Ottoni*, Marchioni de Bramburg, literas dirigit, et, vt ſibi in auxilium veniat, poſtulat cum inſtantia et requirit. Ipſe vero armatorum multitudinem congregat indilate, et Regi in auxilium propria in perſona venit, cui Rex magna munera largitur. Et Opulienſis, Ratiborienſis, Butunenſis, Theſſinenſis, quatuor vterini fratres, ad Regem venerunt, qui Ducatus ſuos ab ipſo in feodo ſuſcipientes ſuis Imperiis amodo voluntarie parere promittunt, et cum veniſſet Crakouiam, ab vniuerſis eiusdem ducatus Nobilibus cum ingenti laetitia fuit ſuſceptus; conſiliis autem pacis ibidem pertractatis vlterius propoſuit proficiſci. Et mox quadrigis adaptatis

et

et equitibus in Zyradiam venit, vbi tentoria ſua fi- 1292.
gens in die ſancti Wenceczslai potenter ipſum oppidum expugnauit, turbatores quoque pacis, videlicet *Loketkonem* cum fratre ſuo captiuitatis ſuae legibus mancipauit, et reuerſus eſt ad propria cum victoriae palma.

In illo quoque tempore, quo *Rudolphus* Romanorum Rex *Gutam* filiam ſuam Regi tradidit pro conſorte, ipſe Ducatum Auſtriae a Morauiae metis vſque ad margines Danubii eidem dotalitii nomine aſſignauit. *Albertus* vero, eiusdem *Rudolphi* filius, quem pater in Auſtria locauerat pro Capitaneo et tutore, ipſam partem Auſtriae ſuis vſibus potenter applicauit, quapropter controuerſiae occaſio oritur inter ipſos. Regina vero *Guta*, cum eſſet circumſpecta, Maritum viuae vocis oraculo, fratrem vero ſuum ſcriptis et nunciis ad concordiam cum ſumma diligentia inuitauit. Ipſa quippe intercedente dies placitandi de partium ſtatuitur voluntate, quod circa Znoymam in metis terrarum vnusquisque veniat, et XX. perſonas tantum ſecum ducat ad locum. Dux vero, dum ad campos venire debuit cum paucis, immemor promiſſorum, innumeram multitudinem armatorum ſecum duxit, et ſic terruit Regem, ipſum quoque vniuerſis ſuis beneplacitis annuere verborum importunitate compulit et coegit. Rex vero de ignominia ſibi illata doluit vehementer, et ex illa hora profectum ſui ſororii impediuit, nam defuncto patre ipſius, licet Electores propter eius inſtantiam vota eorum in ipſum direxiſſent, et aſſignato electionis tempore Anno Domini MCCXCII. 1292.
in menſe Maio Electores cum Principibus Almaniae in Frankenwyrde conuenerunt. Rex vero, quia vnus de Electoribus fuit, et perſonaliter non potuit, eum per Legatos ſuos impediuit, et Co-

1292. mitem de *Naſſau*, nomine *Adolphum*, pro Rege Romanorum elegerunt, quo facto Dux Auſtriae ſpe ſua fruſtratus ad ſuam terram reuertitur, et vt coronam Imperii adipiſci valeat, mente ſedula meditatur, maluit namque vitam perdere, quam de promiſſis ſibi factis ab Electoribus cum tanta ignominia reſilire. Qui quidem Rex *Adolphus* vacante Marchionatu Miſnenſe de eodem maiorem partem potenter ſuis legibus ſubiugauit. Et idem Rex Regem *Wenceslaum*, vt ad eum veniret, deprecatur, qui cum ingenti ſolemnitate circa Grunhaym in nemoribus ipſum viſitauit, et variis inter ſe conſumatis tractatibus decenter perpetuo duraturam amicitiam pariter pepigerunt, foedusque contractum haeredum ſuorum matrimonio firmarunt. *Ruperto* namque Regis Romanorum filio *Agnes* Regis filia ibidem traditur, et ſic Principum colloquium fine commendabili terminatur. Rex vero *Rupertum* generum ſuum a ſe diſcedere non permiſit, et in vigilia ſancti Laurentii matrimonium modo, quo inter pueros fieri potuit, conſumatur.

Sic conſumantur iuuenum ſponſalia feſta,
Ac conſolantur populi praecordia moeſta.
Sed quia durare nequeunt praeſentia, quare
Mox *Agnes* moritur, et in Eccleſia ſepelitur
Aulae regalis. Perit hinc connexio talis,
Quam contraxerunt Reges ſimul et pepigerunt.

CAPVT IX.

Quomodo Dux Auſtriae Regi fuit reconciliatus.

Albertus Dux Auſtriae coepit gentem Sueuicam fouere et multiplicare, indigenas quoque oppri-

primere, ſuamque gentem exaltare. Hoc tol-
are nequiuerunt, et occaſionem euadendi Du-
n et gentem diligenter quaeſierunt; vnde nun-
os ad Regem dirigunt, ipſum pro Domino eli-
ntes, et ſi potenter ad eos veniret, totam Au-
iam ſuae ditioni ſubdituros ſe promittunt. Rex
tem annuit, et conſenſit eorum legationi, et
venturum in Auſtriam in breui cum exercitu
omittit. Regina anxia fuit pro ſui fratris de-
tutione, vnde nuncios ad eum mittit, vt, ſe cul-
bilem profitendo, fiducialiter commiteret ſe gra-
e regali, qui cum paucis veniens Regis pedi-
is ſe proſternens veniam ab ipſo poſtulauit, ſub-
ns ſe ſuae gratiae et ſuum Ducatum. Rex au-
m ipſius non diſtulit miſereri, ſed humi pro-
ratum benignus eleuans omnia petenti condo-
uit.

Eodem tempore Magiſter *Allexius* inter Re-
em et Romanos amicitiam procurauit, nam in-
r *Gutam* filiam Regis, quae adhuc fuit in annis
fantiae, et inter filium Domini *Gentilis* Romani-
matoris infantem ſimiliter ex parte altera matri-
onium ordinauit, et ille nexus amicitiae diſſol-
tur per mortem puellae, et hoc dictus *Allexius*
oloſe egit maxime propter ſuam vtilitatem, et
ntra Regem procurauit, quod Dux Calliſienſis
er Sedem Apoſtolicam in Regem fuit coronatus,
ui quidem paulo poſt a ſuis occiditur. Rex au-
m *Wenceslaus* in Regem Poloniae cum ſolem-
nitate maxima coronatur, praedictus autem Ma-
iſter *Allexius* a famulo ſuo in via eſt interemptus.
t illo tempore Rex vocauerat Magiſtrum *Go-
ium*, vtriusque iuris tam Canonici quam Ciuilis
doneum Profeſſorem, volens inſtaurare ſcriptas
ges in ſuo Regno. Quidam autem Nobiles hiis
uditis non modicum doluerunt, ne vigor ſcripti

iuris

iuris inualeſceret, et ne vtilitas aliquorum in iudiciis deperiret, vnde Rex propter eos diſtulit facere ſuum inceptum. Et ipſe etiam generale ſtudium Pragae decreuerat inſtaurare, et ſui ſibi iterum diſuaſerunt, et hii non intendebant paci principaliter conſulere, ſed potius clericalis dignitatis profectibus contraire.

Conſilium tale ſtudium reuocat generale,
Vnde ſtatum Cleri Rex propoſuit reuereri.
Miror, quod mille plagas non percipit ille,
Quem cuncti noſtis, Cleri tam publicus hoſtis,
Qui ſtudii flores et Cleri tollit honores.

Quoddam notabile de Coeleſtino Papa.

1295. Anno Domini MCCXCV. ſanctus Coeleſtinus Papa, maximae humilitatis ipſum impellente gratia, anno primo Sedis ſuae in Neapoli ciuitate Apoſtolicae dignitatis apicem voluntarie reſignavit. Hic quidem antea *Petrus* de *Marrone* dictus fuerat, ſub regulari degens habitu, monaſticam vitam et heremiticam diu duxerat, ſic vt coelibis vitae ſanctimonia iſtum virum coeleſtem dignum *Coeleſtini* nomine non immerito faciebat. Et licet ex iſto ſanctiſſimo quam ſaniſſimo capite ſe feliciora membra vniuerſalis Eccleſiae reputarent, ipſa tamen humilitas, quae alta neſcit ſapere, ſed timere, paſtorem peruigilem quaſi pro ſeruo docuit ſe habere. Deus tamen, cui accepta ſunt vota humilium, ſuum, qui ſe ipſum contempſit, clarificare dignatus eſt famulum in miraculorum operibus et ſignorum; quadam namque vice, cum poſt reſignationem Sedis Apoſtolicae ad quoddam caſtrum duceretur, mulier quaedam infantulum ab vtero matris ſuae claudum viro Dei in itinere ob-

obtulit ad benedicendum, et prece Praelatorum 1295.
tunc praeſentium inclinatus, manu ſua edidit crucis ſignum, et mox membra pueri ſunt diſtracta, et totaliter fuit ſanatus. Et in vigilia Aſſumptionis beatae Virginis in ipſa nocte ſacra Succeſſor ſuus, Dominus *Bonifacius* VIII, qui erat in ſecundo commodo ſibi contiguus et vicinus, audiuit eum cantantem miſſam Defunctorum, videlicet: Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt et reſurrexit. Et Cantores erant ſuper morem humanum dulciter et ſuauiter cantantes, qui per quandam rimam introſpexit, neminem vidit, niſi ſolum ſanctum Coeleſtinum circa altare decenter ornatum; interrogatus vero a Domino *Bonifacio*, cur cantaret miſſam de nocte, cum hoc ſolum ſit licitum niſi in Natiuitate Chriſti, et cur cantaretur miſſa Defunctorum in tali ſolempnitate, ipſe vero reſpondit, quia ſic Deo placuit, et ſic habere voluit, ideo eſt hoc factum. Et ipſe canonizatus eſt per Dominum *Clementem* Papam V. Anno Domini MCCCXIII. et Sanctorum Kathalogo annotatus, et *Bonifacius* VIII. qui ſibi ſucceſſit, fuit vtriusque iuris ſcientia praeditus, ac in omni temporali negotio valde bene eruditus, qui prius vocatus proprio nomine *Benedictus*. Hic Domino *Coeleſtino* ſub praetextu piae ammonitionis conſuluit et ſuggeſſit, vt de papatu cederet, quia ſpem de eodem habebat. Timens vero *Bonifacius*, quod viuente *Coeleſtino* aliquod poſſet ſciſma in Eccleſia ſuboriri, ei in quodam caſtro iuſſit fieri habitaculum, ibique ipſum vſque ad ipſius obitum fecit cautiſſime cuſtodiri. Iſte *Bonifacius* vir magnanimus ſextum librum edidit Decretalium, annum quoque centeſimum fore inſtituit Iubilaeum, ipſe quoque Romanos, dictos de *Columpna*, dampnauit, et per hoc humiliauit, et contra *Philippum* Regem Franciae grauiter coepit procedere, vnde factum eſt,

quod

1295. quod anno eodem, quo et mortuus fuit *Bonifacius* Papa, per eosdem *Columpnenſes* et per Marſſalcum Regis Franciae in Annania ſua (ſcilicet natali ciuitate) in domo clauditur, capitur, et vſque ad diem tertium fugatis ab eo ſuis omnibus cuſtoditur.

1296. Anno Domini MCCXCVI. quaedam monſtruoſa fuerunt, videlicet, quod duo Papae concorditer vixerunt. Duo etiam Reges in Almania pro Imperio certauerunt, nam *Fridericus* Dux Auſtriae a quibusdam Electoribus Imperii electus, contra *Adolphum* Regem Romanorum, Comitem de *Naſſau*, valide ſurrexit, ipſumque occidit in bello campeſtri, et pro eo regnauit. Eodem anno quidam crudelis homo, neſcio quo zelo impellente ductus, congregatis multis ſatellitibus in diuerſis ciuitatibus, multa millia Iudaeorum interfecit, qui autem ad caſtra vel ad munitiones confugerant, hos fumus et ignis conſumpſit. Irruit tunc timor ſuper Iudaeos in aliis terris conſtitutos. Et Rex *Wenceslaus* in ſuo Regno omnes Iudaeos detinuit, et ab eis recepit pecuniam infinitam; ſic et diuerſarum terrarum Principes fecerunt. Nam quidam ex Iudaeis acubus et clauibus corpus Chriſti pupugerunt, quod de ipſo ſanguis manifeſte ſtillauit et effluxit.

CAPVT X.

De ſolempnitate coronationis glorioſi Regis Wenczeslai Boemiae.

1297. Rege pacifico, qui de excelſo coelorum habitaculo humana ſub ſpecie ad vallem noſtrae mi-

miſeriae deſcendens', in terra hominibus bonae 1297.
voluntatis pacem nunciare et dare venerat, miſe-
ricorditer diſponendo, poſt turbulentas diſcordia-
rum tenebras, grata tranquillitas et pacis ſtatus
Boemiae exoritur in Regno. Regi naturali ſuper-
optato diuini doni beneficio gaudium naſcitur,
populus Regni in ſuo Rege gaudet vberius et lae-
tatur. Sic itaque mitigatis aduerſitatis algoribus
flante Auſtro felicitatis vento in terra Boemiae ap-
paruerunt flores conſolationis et laetitiae et pacis.
Vnde Rex ſtatum ſuum et Regni ſagaciter per-
pendebat, et quod honori ſuo et Regni aduerte-
bat. Igitur omnibus in vnum conuenientibus dies
et terminus ſatis prolixus regiae coronationis prae-
figitur, vt ad feſtum tam celebre rerum omnium
opulenta copioſitas procuretur. Sciens autem Rex,
quod omnis poteſtas eſt a Deo, quia ipſe eſt Rex
Regum et Dominus Dominantium, et Princeps
Regum terrae, et Salomone teſtante: In manu
Dei eſt Rex et cor eius, et quocunque voluerit,
vertet illud. Et vt gradualiter aſcenderet ad fa-
ſtigium ſui Regni, primum coepit quaerere re-
gnum Dei. Statim igitur ad Sedem Apoſtolicam,
ad *Bonifacium* VIII, qui ſextum decretalium com-
poſuit et edidit, Rex deſtinat Ambaſſatores pro
eo, quod ſanctam benedictionem accipiat, et quod
Regis pium propoſitum vt obedientis filii Roma-
na Eccleſia non ignoraret, et factum eſt, quod
authoritate Apoſtolica Rex et Regina ab omnibus
peccatorum ſuorum nexibus abſoluuntur, et ſic
purificatis conſcientiis ſuſceperunt regalis vnctio-
nis Sacramentum, et Maguntinus Archiepiſcopus,
cuius officii intereſt Reges Boemiae coronare, per
Sedem Apoſtolicam ſuſpenſionis ab officio et in-
terdicti laqueis fuerat irretitus. Vnde Papa ad
inſtantiam Regis conceſſit Metropolitano, quod
per illum diem duntaxat debeat fungi ſuo officio,

quo

1297. quo regiae coronationis celebranda eſſet coronatio. Et conſueuerunt Reges Boemiae ſuis coronatoribus C. Marcas liberaliter aſſignare. Omnibus igitur ad huius famoſi feſti glorioſa ſolempnia per prouiſores Regni et alias ydoneas perſonas neceſſariis procuratis, dies expectatae laetitiae inſtabat, per praeſentiam quoque Venerandiſſimorum Patrum et Dominorum, Domini *Gerhardi*, ſanctae Maguntinae Sedis, et *Burchardi* ſanctae Maydburgenſis Sedis Archiepiſcoporum, Domini *Gregorii* Pragenſis Epiſcopi, *Theodrici* Olomucenſis, *Alberti* Miſnenſis, *Henrici* Conſtantinenſis, *Petri* Baſilienſis, Friſienſis, *Iohannis* Crakouienſis ac Lubucenſis Dominorum Epiſcoporum et multorum Abbatum Ciſtercienſis, Praemonſtratenſis, et beati Benedicti Ordinum, nec non per omnium Praepoſitorum, Priorum, Decanorum, Canonicorum, Plebanorum, et Eccleſiarum Rectorum, quacunque praeemineant dignitate, de Regno Boemiae et de aliis pluribus terris conuenit multitudo ad dictam ſolempnitatem. Inſuper per glorioſam Principum illuſtrium praeſentiam Domini *Alberti* Auſtriae, *Bolconis* Sleſiae, Glogouiae, Opuliae Ducum, et aliorum, nec non et per aſpectum glorioſorum Principum, Domini *Hermanni* Bramburgenſis, Domini *Ottonis* cum caetero, Domini *Friderici* Miſnenſis Marchionum gaudium feſtiuae laetitiae augmentabat, et etiam praeclara multarum terrarum Comitum, liberorum Baronum et Militum, et innumerabilium aliorum praeſentia Nobilium et Militum feſtum illuſtrabat. Adeſt igitur feſtum celebre, quia illuxit tempus gloriae, quo refulſit Rex, quaſi ſol in Regno Boemiae, qui prius erat quaſi in nubilo, nunc autem vt in ſolis
1297. radio. Vnde Anno Domini MCCXCVII, aetatis vero Regis *Wenceslai* XXVI. in die ſanctiſſimo Penthecoſtes, quae tunc fuit IIII. Non. Iunii, in figu-

figura anni Iubilaei vniuerſo populo iubilante in Pragenſi Eccleſia iuxta ſummum altare beati Viti Martyris, circumſtantibus praedictis Principibus et Praelatis, Sereniſſimus Princeps Dominus *Wenceslaus* Secundus, Rex Boemiae Sextus, vna cum coniuge ſua Illuſtri Domina *Guta*, Domini *Rudolphi* Regis Romanorum quondam filia, inuocata et cooperante Spiritus Sancti gratia, ſancta conſecratione et vnctione praeuia, leganiter inſignitus eſt, et ſolempniter coronatus. Vnde omnes ympnum laetitiae ſunt perſonantes, et Te Deum laudamus cantantes, et erat omnium oratio et vox vna: Viuat Rex *Wenceslaus* cum Regina. 1297.

Laetantes mente de Rege nouo ſapiente
Dicunt: Rex diuus ſit vita perpete viuus,
Regnet, proficiat, felix ſuper omnia fiat.
Quis non gauderet, et gaudia mera teneret,
Quando conſpiceret, quod concio laeta ſtuderet
Non niſi laetari, nequit os haec gaudia fari,
Quae pellunt triſte, benedic Regem pie Chriſte.
Amen.

CAPVT XI.

De apparatu precioſo ad coronationem regiam adaptato.

Ne coronationis debitum officium dignitatisque decus, et regiae opulentiae Maieſtas, quae claris titulis ad excelſum apicem eſt erigenda, debitis circumſtantiis careret, factum eſt pro regali curia et commodo inter montem Petrinum, et ripam fluuii Multauiae in loco campeſtri et amoeno Palatium mirae magnitudinis et ſtructurae de ſer-

1297. ratis arboribus, et dolatis compaginationibus, et ferramentis connexis, tanquam ſemper duraturis; atque hoc aliquantulum a terra in altum eleuatum fuerat, vt aſcenſum praeberet et aditum per gradus. Menſae, ſedilia et omnia, quae pertinebant ad conuiuium hoc magnificum celebrandum, et nil de contingentibus erat praetermiſſum, inſuper et totius Palatii et ambitus Palatii regalis circumdatus erat precioſiſſimis pannis diuerſi generis et coloris, qui interpollati multiformitate auri et argenti gemmarumque decore fuerant. Vnde non parum inter ſerenas facies Principum rutillabant. Sed quid de multitudine eſt dicendum, cum honor Regis ſit in multitudine populi teſtante Salomone; certe quia longe lateque fuerat legatio diffuſa, et ſonus exiuerat in omnem terram, vnde congregatus ibi fuerat populus maximus, et quaſi innumerabilis, ita, quod magnitudo ciuitatis Pragenſis ad capiendum eundem non ſufficiebat, vnde bene ad ipſam hoc dici poterat: Leua in circuitu oculos tuos, et vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, omnes fines iam honorant te propter Dominum Chriſtum tuum, qui vnctus eſt tibi in gloriam et laudem. . Et maxima opulentia tunc fuit in ipſa ciuitate et decor, nam intus domorum facies et latera biſſo veſtiebantur et purpura, et platheae miro modo fuerant decoratae; forinſecus autem fixis vbique tentoriis campi replentur florida iocunditate, et tabernacula in circuitu eius fuerunt glorioſa. Et quae aeſtimatio valet capere, vel ratio quanta tunc expenſarum fuerit magnitudo? Nam Notarius pabuli pro certo retulit, quod pro ſolis hoſpitibus et aduenis pabulum de curia Regis dabatur pro equis, quorum equorum fuit numerus centum millia et XC. millia, inſuper et equi mille; ad hoc non computabatur pabulum, quod dabatur pluribus indigenis, et hiis, qui in-

ter

ter cottidianam familiam fuerant computati, quo- 1297.
rum numerus non eſt paruus. In nouo quoque foro per occultum meatum ſubterraneum fontes facti fuerunt, de quibus vinum more fluminis, qui voluit, hauriebat, et Notarius coquinae retulit, quod pro ouis pullorum expenſae fuerant Marcae grauis ponderis DCCC.

Hinc ac inde gyra, ſi quaeris cernere mira.
Regi congaude, quae ſunt digniſſima laude
Curia Regis habet, vbi nullus eget, neque thabet:
Omnes laetantur, gradibusque ſuis ſociantur.
Conſpicis hic multa, pulchra ſpecie bene culta.
Tunc et honorati Domini ſunt, ſunt onerati
Serui per dona, Regis facit iſta corona.
Hic ſe Barones clypeis per brachia trudunt.
Illic tyrones per tyrocinia ludunt,
Vibratas haſtas tangunt ſi non procul aſtas,
Hoc caueas multum, quod non tangat tibi vultum.
Non eſt plathea, quae non ſit plena chorea,
Hic etenim Muſae propriis ſunt artibus vſae.
Tympana nabla chori, thuba ſambucique ſonori.
Rocta, figella, lira, reſonant dulcedine mira.
Omne genus ludi fuit hic, currunt ibi nudi,
Vt fiant abiles, pugiles non ſunt ibi viles.
Hic ſcit cantare, quidam carmen recitare.
Talis ſaltare, manibus ſcit ille meare.
Oremus Chriſtum, quod Regem protegat iſtum.
Det ſibi ſolamen, homo dicat quilibet Amen.

CAPVT XII.

Quomodo Rex ſequenti die coronationis ſuae nouam Eccleſiam fundauit.

Referente Regum hiſtoria dicitur, quod plurimi Reges ex Iuda non ſolum pro adepta de

1297. hoſtibus victoria, verum etiam pro ſuſcepta honoris gloria olim ad templum ſanctum, quod erat in Iheruſalem, veniſſe et ibidem obtuliſſe ſacrificia, victimas et hoſtias pacificas. Quid minus fecit iſte Rex? ſolus enim ex eis Rex Salomon, quae Dauid Pater ſuus ſibi reliquerat, donariis templum in Iheruſalem conſtruxerat, in quo populus Deum adorabat, et Reges, qui fuerunt poſtea, offerebant quidem in templo, ſed non templum. Iſte vero Rex non ſolum obtulit acceptabile ſacrificium in templo, verum etiam obtulit et templum Domino pro ſacrificio. Vnde ne Rex gratiſſimus vitium ingratitudinis incurreret, ſciens, quod ingratitudo fontem pietatis, rorem miſericordiae et fluenta gratiae exſiccat, et etiam, vt de accepto beneficio conſecrationis et ſuae vnctionis primitias Domino Deo offerret. Completo igitur die regiae coronationis, ſtatim die ſequenti, hoc eſt, feria ſecunda poſt Penthecoſten, quae tunc
1297. fuit Anno Domini MCCXCVII. XIII. Kalendas Iunii, cum vniuerſa curia et turba Principum et Nobilium et omnium aliorum, qui conuenerant ad diem feſtum, Rex ex nouo coronatus venit ad fundationem ſuam, ad Aulam Regiam, valde mane, orto iam ſole, vbi ſtatim Rex regalibus ornatus inſigniis in loco aptato, et fundamento prius diſpoſito nouum Monaſterum fundauit; nam ad imperium Regis Dominus *Hermannus* Maidburgenſis Archiepiſcopus cum Rege et primo Abbate choris aſtantibus et cantantibus primum lapidem ponunt cum magna deuotione, in quo lapide aureis literis ſcriptum fuerat: Ieſus Chriſtus. Quo poſito, et ipſis de fundamento exeuntibus iam dictus Archiepiſcopus ſolempniter Pontificalibus indutus in loco, vbi maius altare beatae Virginis eſt factum, aſſiſtente Rege in regalibus ornamentis, et Aſſiſtentibus Reuerendis Epiſcopis

et

et Dominis *Gregorio* Pragenſi, *Theodrico* Olomu- 1297.
cenſi, *Iohanne* Crakouienſi, *Alberto* Miſnenſi, *Petro* Baſilienſi, *Henrico* Conſtatienſi, Lublicenſe et Friſienſe miſſam de Annunciatione beatae Virginis, ſcilicet: Rorate coeli deſuper, cum maxima ſolempnitate celebrauit; ſeptem Epiſcopi ibi cantaverunt Alleluia. Miſſa vero illa finita Rex, coronatus ſceptrum manu tenens proceſſit in circuitu fundamenti iam fundati Monaſterii, ducentos et XL. Barones et Nobiles Regni Boemiae ac multarum aliarum terrarum cinxit baltheo militari larga dona eis tribuendo. Adoleſcentes quoque tres Regi fuerunt praeſentati, et ſiullus potuit intelligere eorum ydioma, tandem vnum ex eis Rex tradidit literis imbuendum, et idem narrauit Regi unde eſſent, dicens: Pater meus Rex transmarinus quendam Regem vicinum habuit, cuius terram intrare voluit cum valido exercitu, et dum ad mare veniſſemus honuſtis nauibus nauigantes, ſubito exorta tempeſtas naues concuſſit et cum patre meo omnibus ibidem ſubmerſis me cum paucis ad littus cuiusdam inſulae impetus tempeſtatis deportauit, et aſſumptis his duobus clientibus periculis me expoſui et fortunae, et ſic mundum perambulando tandem, Domine Rex, ad tuam curiam perueni. Et ipſum Rex cum ſociis magnifice honoratum ad propriam terram redire permiſit. Magnum quoque affectum et amorem habuit Rex ad praedictam ſuam fundationem, ita, quod nunquam munere vacuus, et ſolatio ipſam viſitauit.

Accipe Rex Chriſte, bona dat noua Rex pius iſte.
Fert cito productum Rex heſternus tibi fructum.
Rex hic in exemplum voti ſancti modo templum
Incipit exſtruere, poſtquam noua ſceptra tenere
Incepit Regni, non hoc ex pectore ſegni.

CAPVT XIII.

De morte inclytae Dominae Gutae Reginae Boemiae glorioſae.

Gaudia mundana pereunt, quaſi ſompnia vana.
Et velut in ſompnis honor eſt fantaſticus omnis,
Triſtia ſuccedunt nobis, cum laeta recedunt.
Et perit vt foenum quidquid tu cernis amoenum.

Et Salomon ait: Extrema gaudii luctus occupat, vnde ipſa veritas, quae in ſe eſſentialiter eſt incommutabilis, dixit: Regnum meum non eſt de hoc mundo, mundus enim tranſit et concupiſcentia eius. Sic verſa eſt in luctum cythara noſtra, et organum noſtrum in vocem flentium. Nam inclyta Domina *Guta* Regina inualeſcente morbo, quem in infantuli partu tunc nouiter praecedente contraxerat, ex vehementibus doloribus cognouit, quod ei vltimus vitae terminus aduenisſet, ſapienter de domo ſua et rebus coepit diſponere, et quae prodeſſent animae cogitare. Et omnibus Sacramentis Eccleſiae ſuſceptis, et finaliter teſtamento conſummato, animam ſuam cum magna emi-
1297. ſit deuotione Anno Domini MCCXCVII. XIIII. Kalend. Iulii, et ſepulta eſt in Eccleſia Pragenſi circa ſepulchrum Regis *Ottakari*, et fecerunt omnes planctum magnum ſuper eam; vixit autem poſt coronationem ſuam niſi XVII. diebus, et tunc quaſi fulgida et excellens lucerna fuit extincta ex Dei permiſſione.

Auſpicium laetum deplorat nobile feſtum.
Principium laetum coecat veniens cito laetum.
Namque coronata poſt tam ſolempnia grata
Proh dolor! exuta nexu carnis bona *Guta*.

No-

Nomen habens a re, viuens ſine crimine clare. 1297.
Inclyta Regina fuerat, cui ſit medicina
Dextera larga Dei, ſibi dans ſedem requiei.
Et quis non fleret, et toto corde doleret,
Quando conſpiceret, quod mortua forma iaceret.
Et ſpeculum verum praeclarum hoc mulierum,
Seruans virtutem, tribuens aliisque ſalutem.
Laude fuit digna, generoſa, pudica, benigna.

Et eodem tempore Rex miſit Florentiam pro viris ydoneis et diſcretis, qui venientes ad mandatum Regis nouum numiſma fabricauerunt. Anno igitur Domini MCCC. menſe Iulio moneta fuit 1300. facta groſſorum Pragenſium et denariorum paruorum, quia prius fuit frequens variatio monetae et pauperibus valde dampnoſa, et praecipue mercatoribus non expediebat, quia denarius, qui heri et nudius tertius fuerat bonus et datilis, poſt breve dierum ſpatium eſſe deſineret vſualis.

Corda facit laeta quam pluribus iſta moneta.
Groſſum denarium multi reputant quaſi diuum.
Hunc qui conſeruant pluresque ſimul coaceruant.
Et quaſi pro Sanctis venerantur eos, quia tantis
Groſſis de multis ſpes eſt permaxima ſtultis.
Hic groſſus numus iam iam manet vndique firmus,
Quem ſcio diſperſum longe, ſed raro reuerſum.

CAPVT XIV.

Qualiter Rex Poloniam intrauerit, et in Gneſia fuerit coronatus.

Boni cuiuslibet proprietas haec exiſtit, quod longe lateque ſe difundit, et ſtare neſcit in-

1300. ter anguſtias terminorum paucorum, Vnde virtus eximia ac morum regalium decentia et bonitas, quam in ſe Rex *Wenceslaus* habuit, fama praeconizante ſe vbique dilatauit, quod aliae gentes ſub iſtius Regis pacifici regimine degere affectauerunt. Vnde factum eſt, poſtquam primus Rex Kaliſienſis occiſus fuiſſet, nullum haeredem maſculum ſuperſtitem reliquit, vnde cuncti Nobiles terrae illius in Regem noſtrum vota ſua direxerunt, et mittentes nuncios ſupplicant ipſi, vt ad eos venire dignaretur, et puellam, quae Regni haeres exſtitit, duceret in vxorem. Quibus Rex conſentiens, congregato valido exercitu Poloniam in-
1300. trauit anno Domini MCCC. et ibidem aduerſarios ſuos expugnauit, et dominio ſuo ciuitates et caſtra ſubiugauit. Veneruntque ad ipſum de Opulia, de Teſſyn, de Cuyauia, ac plures alii de Polonia Duces et Principes, qui ſe ſeruitiis regalibus applicauerunt, fidemque et omagium Regi humiliter praeſtiterunt; tandem vt regalis potentia terram Kaliſienſem, Gneſenſem, Pomeranam, Poſnaniam, ac omnia illa loca confinia obtinuiſſet, ad Gneſiam ciuitatem Metropolim peruenit, et ibidem cunctis Principibus et Nobilibus viris petentibus per Dominum *Petrum*, Gneſenſem Archiepiſcopum, praeuia benedictione, corona Regni Poloniae et dyademate ſolempniter eſt inſignitus. Et ibidem plurimi Barones et Nobiles per Regem militari baltheo cingebantur. Et Dominum *Henricum*, dictum de *Duba*, pro Capitaneo ibi dum ſtatuiſſet, cum gaudio Boemiam eſt reuerſus.

1301. Sed Anno Domini MCCC. primo, filius *Wenceslai* Regis Boemiae Sexti, in Regem Vngariae eſt electus, mortuo namque *Andrea* Rege Vngariae, vnicam filiam haeredem reliquit, et omnes Barones et Nobiles illius terrae Regis filium in Regem et

Do-

Dominum concorditer elegerunt. Venerunt igitur quidam magni Nobiles ad Regem, et filium ſuum in Regem poſtulauerunt, qui tamen de maturo conſilio ſuorum eorum petitioni conſenſit, et hoc fecit, quia conſolationem patriae et pauperum ex hoc praeuidit profuturam. Vnde iuuenis Rex *Wenceszlaus* XIII. aetatis ſuae anno, in Vngariam cum innumera multitudine eſt profectus. Eodem quoque anno per Coloſenſem Archiepiſcopum in ciuitate Alba Regum Vngariae corona et dyademate cum praeclara ſolempnitate eſt coronatus, et peracto feſtiuitatis gaudio in Budinam ipſum honorifice deduxerunt. Et licet *Bonifacius* Papa VIII. *Karulum* adoleſcentem, *Karuli* Regis Siciliae filium, in Vngariam pro Rege transmiſiſſet, et Rex Romanorum *Albertus* etiam ſibi appoſuit, verum tamen proficere non potuerunt. Rex autem filium ſuum Regem Vngariae cum magno exercitu viſitauit, et dulci praeſentia, et allocutione cum amplexibus fruebantur, et cauſis eorum feliciter peractis in Boemiam Pater cum filio feliciter ſunt reuerſi. 1301.

Ecce Boemorum Rex fit Rex Vngariorum.
Plaude Boemica gens, tua ſit laetiſſima iam mens.
Vngara, Polona tibi ſubiacet ecce Corona.
Hunc lauda Regem, iam regna tenent tria legem,
Ipſis quam Rex dat, vnus cum laudibus exſtat.
Hic commendandus Princeps, et ſemper amandus,
Qui regnat late de magnifica probitate.
Rex merito creuit, cuius virtus inoleuit,
Et fulgens vita, claro ſtat honore polita.

CAPVT XV.

Qualiter Elizabeth filia Regis Poloniae Regi nupſerit et fuerit coronata.

1300. Anno Domini MCCC. cum *Elizabeth* filia Regis Poloniae XIIII. aetatis ſuae anno Pragam fuiſſet adducta, ſed per tres annos Rex protraxit feſtum nuptiarum, ex quo regnum Boemiae et Poloniae grauiter fuerat conturbatum; tandem de conſilio ſuorum fidelium ipſam ſibi in matrimonium copulauit, et coronari in Reginam Boemiae et Poloniae auctoritate Maguntini et conſecrari in Eccleſia Pragenſi ſolempniter procurauit. Et fuit facta maxima ſtructura inter Eccleſias beati Viti et ſancti Georgii in caſtro Pragenſi tanquam ſemper duratura; ſedilia quoque et menſae, et omnia, quae pertinebant ad regale conuiuium celebrandum, praeparata fuerant, et totus circuitus erat circumdatus pannis diuerſi coloris, et interpollata varietate auri et argenti delectabiliter fulgebant, et ſic hoc feſtum fuit decenter conſummatum. Anno quoque tertio poſt nuptias, filiam peperit, quam *Agnetem* nominauit (mortuo quoque Rege *Wenceslao*) quam Reuerendus Pater et Dominus, Dominus *Iohannes* IIII. Pragenſis Epiſcopus XXVII. baptizauit.

Eodem tempore *Taſſo* de *Wiſſenburch*, Regni Boemiae Camerarius, qui Pragae fuit cum Rege, ante Eccleſiam ſancti Clementis inter ſuos multos familiares a quodam paupere cliente propter iniuriam magnam ſibi factam eſt interfectus, et ſic ille per totam turbam attonitam fugiens obtinuit vitam. Miles quidam animo conturbato expoſuit co-

a Rege *Wenceslao*, quod iniuſte patiebatur, —
it ſibi factam violentiam, poſtulans querimo-
dari ſibi iudices ad iuſtitiam exequendam.
: Rex propriis intentus commodis cauſam
ilantio non aduertit, ſed a ſe moeſtum iuſſit
. Et in breui Rex recurrens ad conſcientiam
ſum intranee multum redarguit et culpabilem
t, et ſolus intrans in cubiculum, clauſo hoſtio
elam ardentem cruribus applicauit, et acriter
mbuſſit, et ait: Sic caro ardeas, ne in fu-
perpetuum ardorem ſuſtineas, et in quinque
quaſi cauterium fecit propter huius peccati
itentiam et correctionem.

ales torturae carni fuerant nociturae,
:d proſunt animae, quia ſunt eius medicinae.

eodem tempore *Albertus* Rex Romanorum
niam intrauit, et ibidem multa mala perpe-
it. Cauſa autem fuit haec ipſius aduentus:
a licet noſter Rex ipſius ſororis fuerit maritus,
uit ipſius promotor ad Imperium Romanum,
ulta bona feciſſet, tamen idem Rex Romano-
auaritia corruptus, quae multorum malorum
)peratrix, a Rege noſtro poſtulauit, vt ſibi
tnam cum ſuis argentifodinis concederet ſex
is, vel LXXX millia Marc. in redemptionem
:dem perſolueret, tam pro annis praeteritis,
m futuris, quae dicebat ad ſe pro parte deci-
um iure Imperii pertinere, et petiuit ſibi re-
ari Egram, Miſnam, Vngariam, Crakouiam,
otum Poloniae regnum. Cui Rex ad praedi-
cum conſilio ſuorum ſapientum veraciter et ra-
abiliter reſpondit: Primo quod decimas de iure
e non deberet, et quasdam terras dotis nomi-
et quasdam iure ſucceſſionis, quasdam autem
ationis titulo poſſideret, ideo ipſas reſignare
a deberet. Rex vero Romanorum hiis auditis

cum

— cum magno exercitu venit, et circa Budwoys ſua tentoria collocauit, et ibi filium ſuum Ducem Auſtriae expectauit, qui cum Vngaris, Bulgaris et Paganis per Morauiam tranſiuit, et ibi multa mala exercuit, nam circiter quatuor millia hominum ferro et igne interfecit. Virginum quoque ac Matronarum ac caeterarum mulierum greges plures a paganico exercitu extra terminos terrae ſunt educti, et nulli aetati pepercerunt. Capita infantium infixa ſunt lanceis et corpora eorum ad ſubſellia ligauerunt et alia diuerſa mala fecerunt. Et poſtea Pater cum filio cum ſuis circa Chutnam conuenerunt. Incolae vero ipſius fuliginem purgamentorum ſcoriarum argenti, alias quoque immundicitias fluuio ibi currenti miſcuerunt, vnde homines et iumenta de exercitu bibentes ſine numero interierunt. Rex vero Boemiae congregauerat inclyta bellatorum agmina, et illa in ciuitatibus et munitionibus collocauit. Videns quoque, quod exercitus aduerſariorum deficeret propter diuerſas cauſas, admouit exercitum ſuum ad Chutnam in craſtino bellum cum hoſtibus commiſſurus. Rex vero Romanorum cum ſuis percuſſus metu in primo noctis galli cantu fugam arripuit, et abſceſſit. Rex vero noſter tranſitum ipſius diſſimulauit.

O Rex *Alberte* clamat gens tota ſuper te:
Haec incepiſti mala, quorum cauſa fuiſti.
Nam cum veniſti, tunc ſtare ſub omine triſti
Terra Boemorum coepit, quia turba tuorum
Nunc bellatorum dampnum, tum ſat ſpoliorum.
O quot triſtantur per te nunc et lacrimantur,
Qui ſunt nudati, rebus ſimul excoriati.

CAPVT

CAPVT XVI.

nodo Dominus Iohannes IIII. Pra- ensis Episcopus XXVII. fuit in E- piscopum electus et consecratus.

ius raritas pretium facit, vnde nil pretiosi- rs, et nil optabilius in Ecclesia Dei bono ie Pastore et Pontifice, qui tamquam Ange- mini illustrans, purgans et perficiens, di- uos subditos in viam salutis aeternae, ipsis- dens, et disponens in hiis, quae ad animam pus dinoscuntur pertinere. Et de tali in- tur illud Euangelicum: Fidelis seruus et us, quem constituit Dominus super familiam Diuina igitur gratia prouidente Venerabi- er, Dominus *Iohannes* IIII, Pragensis Epis- XXVII. Filius Domini *Gregorii* de *Dra-* regnante Sereniſſimo Principe Domino *Wen-* Secundo, Rege Boemiae et Poloniae Sexto, Domini MCCC. primo in Pragensem Epi- 1301. m fuit electus, in cuius electione Rex cum Nobilibus, Clerus et populus gratulando ltando Regi Coelorum gratiarum vberes re- actiones. Donauitque Dominus Rex Do- Electo annulum aureum cum precioſiſſimo ſmaragdo pro DCCCC. Marcis aestimatum, uo fuit in consecratione ab Ordinatore suo atus; Dominus quoque *Vlricus* Praepositus nsis ait ad Regem: Quia Dominus Episcopus nsis potest licite venari in siluis regalibus, t vestrae Magnificentiae, vt ego ad solem- em Domini Electi de ferinis prouiderem. ex respondit propria in persona: Volumus iari, quod effectui mancipauit, nam ante

diem

1301. diem conſecrationis tres currus variis ferini
fertos Domino Electo transmiſit, et alia
prouidendo, quae erant neceſſaria futurae ſo
pnitati; et conſecratus eſt cum maxima dec
et honore in Dominica, qua cantatur: Po
Syon, in Eccleſia Pragenſi Rege aſſiſtente cur
genti iocunditate, et aliis Principibus et Ma
tibus Regni, Clero et populo vniuerſo. Re
ro dedit gratioſe Domino Epiſcopo ſceptrum
et pomum cum cruce auro fuluo decoratum
dem conferendo Regalia ſiue Principatum.
inde. Rex allato libro Euangeliorum iuſſit eu
Dominum Epiſcopum librum cum dextra
aperire, et occurit Euangelium, quod legit
XII. Dominica, et in eodem continebatur:
omnia fecit, ſurdos fecit audire, et mutos l
Cuncti vero hoc intuentes gratias Deo refer
de tam inſigni et magnifico Principe et Pont
Regem Coeli affectuoſe laudantes. Officioqu
vino conſummato, Rex cum Domino Epiſcopo
tificalibus induto et Infula coronato, cum
ma multitudine Nobilium ad curiam Epiſcop
equitauit, et accipiens equum Domini Epi
per fraenum, introduxit eum in portam,
voce haec verba proferendo: Dominus cuſt
introitum tuum et exitum tuum ex hoc nu
vſque in ſeculum; et poſt laeta et dulcia collo
inſtaurantur conuiuia, menſae ponuntur, copio
ciborum lautiſſima decorantur, et in illo laud
conuentu multorum Virorum ac Praelatorum
ctorumque Clericorum, ſpectabilique varietat
natorum omnes ſenſus interiores et exteriore
ficiebantur; pauperes quoque, qui veneran
diem celebrem ſolempnitatis, non ſolum ſpi
lem, ſed etiam corporalem receperunt conſol
nem. Domino quoque Epiſcopo digne et l
biliter in ſuo Praeſulatu exiſtente, aduertit
d

dit inter caeteros defectus defectum maiorem et 1302.
dammabiliorem, quem Anteceſſores ſui nequiuerunt extirpare, nec ſuos ſubiectos ad ſtatum ſalutis et rectitudinis reuocare, videlicet: quia Plebani et Rectores Eccleſiarum erant quaſi mercenarii, non vt Paſtores, ex quo ſequebatur ingens periculum animarum,, nam tunc auctoritate ſuorum Patronorum, quae in hoc facto non habebat vigorem, miſſas celebrabant, et Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrabant. Si quis autem de Plebanis Patrono ſuo non obtemperauit, mox ab Eccleſia fuit repulſus, et alter iterum ad ſpatium vnius anni a feſto ſancti Georgii vſque ad ſequens feſtum fuit ſubrogatus. Dominus vero Epiſcopus maluit ſuam vitam periculo et morti exponere, quam talia nefaria acta tolerare; vnde mox Regi et Baronibus Regni ſe oppoſuit, ipſos de tali errore arguendo et conſulendo, vt a talibus illicitis ceſſarent, et animas ſuas et ſubditorum ſuorum a dampnatione perpetua liberarent, et ſpecialiter tales Plebanos tanquam mercenarios a diuino ſuſpendit officio. Quidam vero de Baronibus cum nimio furore accenſus et indignatione coram multis Baronibus et Nobilibus ait Domino Epiſcopo praefato: Magis eligeremus iterato ad paganiſmum redire, quam talia ad velle veſtrum admittere. Verumtamen Venerabilis Pater virtute conſtantiae roboratus metum abiciens et terrorem, praetaxatum radicitus extirpauit errorem. Deinceps ad praeſentationem Patronorum Plebanos ad Eccleſias rite et legitime confirmauit, ſicut ſpectat ad officium et Epiſcopalem dignitatem, ita, vt amplius curas animarum ſibi commiſſas authoritate Domini Epiſcopi ſollicite gubernarent, officium diuinum licite celebrando et ſacramenta Eccleſiae populo miniſtrando.

Poſt-

Poſtquam haec et alia ſagaciter et ſalubriter diſpoſuiſſet, deinde fuit per Dominum Clementem Papam V. ad Concilium vocatus Wiennenſe, qui illic profecturus, Milites ſuos et Capellanos totamque familiam ſuam excellenter veſtiuit, ſicque ſtipatus magna militia ac decenti familia, dum ad praedictam Vrbem perueniſſet, cum maximo honore ab vniuerſis Praelatis et Clero fuit ſuſceptus. Dominus quoque Papa ipſum Dominum Epiſcopum ſuis exeniis magnifice honorabat, eadem de Wienna in Lugdunum ſolempniter transmittendo. Cumque omnia acta ſua ibidem proſpere terminaſſet, ad ſuam dioceſim magno cum gaudio fuit reuerſus, in qua in breui ſynodum ſolempniter celebrauit, conſtitutiones ſaluberrimas faciendo, Clerum ſuum a prauis actibus retrahens, laudabilibus operibus iuſſit inſudare. Regem quoque ac cunctos Magnates et Regni Nobiles monitis ſalutaribus inſtruebat, praebens ſe ipſum cunctis veluti clarum exemplum. Operibus quoque pietatis ſtudioſius inſiſtebat, non ſolum viduas et orphanos tanquam pius Pater fouens et protegens, verum etiam pauperes pauit, nudos veſtiuit, et ſtatutis diebus cuilibet pauperi ad ſuam curiam venienti denarium dedit. Et pauperes in Eccleſia Pragenſi, Clerici et Laici aduentum ſuum cum gaudio praeſtolabantur, nam cuilibet fuit largitus denarium per Magiſtrum *Michaelem*, ſuum diſpenſatorem, et ſic ſex opera miſericordiae tam corporalia, quam ſpiritualia deuotius exercebat, vnde Deo, quae Dei ſunt, reddebat, et quae Regis ſunt, reſtituebat. Nam quocienscunque Rex ad expeditionem ſiue ad bellum properabat, mox ſecum in propria perſona cum magno exercitu, vel loco ſui electam militiam optime expeditam cum propriis ſumptibus transmittebat. Eccleſias quoque plures in ſua dioceſi, et praecipue in Epiſcopatu con-

conſtruxit, munitiones ac varia commoda et aedificia inſtaurando, ſpecialiter curiam ſuam circa pontem Pragenſem venuſtiſſime reformauit; nam prius porta eius de rudi opere cum lignis et ſeptis et alia commoda intrinſeca facta fuerunt, ipſe vero in porta turrim de lapidibus ſectis et dolatis fortiſſimam erexit, et granaria vſque ad turrim pontis cum aliis pluribus aedificiis valide perfecit, lateribus ea firmiter tegendo. Capellam pulcherrimis picturis depingi procurauit, in qua imagines omnium Epiſcoporum Pragenſium ſecundum ordinem ſunt ſituatae. Palatium vero ſiue coenaculum ſcripturis et picturis exſtat repletum; multi quidem verſus doctrinales et morales ſunt ibi notati, et multi clipei Principum, Baronum ac Regni Nobilium ſunt decenter depicti. Speciale vero commodum ſuum variis imaginibus fuit decoratum, et ſimbolum Prophetarum et Apoſtolorum cum ſuis propriis figuris et ſcripturis exſtat ſignatum in optima proportione, quod de curia cum praefatis verſibus attulit Romana.

Tunc Vrbs laetatur, *Iohannes* quando creatur
In Dominum, plaudit gens tota, libentius audit.
Paſtor fit iſte, putat ex hoc, quod ſibi triſte
Nullum ſuccreſcat, ſed gaudia ſola capeſcat.
Sic plebs exultat, clamoribus Aula reſultat.
Fit totusque chorus Clero pſallente ſonorus.
Laetantes mente de Paſtore ſapiente
Canonici cuncti, Clerici carmen cecinere.
Paruuli cum magnis pariter hilaresque fuere.
Paſtor hic diuus ſit vita perpete viuus.
Regat, proficiat, felix ſuper omnia viuat.
Amen.

Notabile quoddam de ordine Dominorum Episcoporum Pragensium.

Aduertendum est, quod tempore Regis *Przsemysl* fuit *Iohannes* Tertius, Episcopus Pragensis XXIIII. qui praefuit Ecclesiae Pragensi XXIIII. annis cum dimidio. Defuncto quoque Rege *Przsemysl*, Dominus *Iohannes* Episcopus eodem anno ad Dominum migrauit. Cui successit Dominus *Thobias* Pragensis Episcopus XXV, qui tempore Regis *Wenceszlai* sedit in Episcopatu XVII. annis cum dimidio, qui primus ad seruitutem Regis se dedit, et per eum incepit seruitus in militia armatorum ad regalem expeditionem, quod prius per suos Antecessores fieri non consueuit. Quo defuncto Rex *Wenceszlaus* Dominum *Iohannem*, fratrem suum bastardum et non legitimum, Praepositum Wissegradensem, nitebatur ad Episcopatum promouere, quod facere non potuit sine Papali dispensatione. Sed Dominus *Iohannes* Saccensis Praepositus consulit Domino Regi, vt Dominus *Gregorius*, Decanus Pragensis, qui tunc erat sexagenarius, in Episcopum promoueretur sub hac spe, vt post discessum ipsius praefatus frater Regis promoueretur. Sed Deus aliter ordinauit, quam homo cogitauit, quia ille citius, existens iuuenis, decessit, quam antiquus; et praedictus Dominus *Gregorius* sex annis Pragensem rexit Ecclesiam, post cuius obitum D. *Iohannes* Quartus, Pragensis Episcopus XXVII, filius nobilis Viri, Domini *Gregorii* de *Drazicz*, diuina gratia prouidente in Episcopum Pragensem est electus et confirmatus, de quo in sequentibus plenius continetur, et de suis actibus et operibus saluberrimis omni laude dignissimis, quae nullus fecit suorum Antecessorum, qui fuit temporibus istorum Regum: Regis

gis *Wencezslai* Sexti, Regis *Wencezslai* Iuuenis, Regis *Rudolphi* Ducis Auſtriae, filii Domini *Alberti* Regis Romanorum, Regis *Henrici* Ducis Carinthiae, Regis *Iohannis* Comitis de Lucenburch, filii Regis Romanorum.

CAPVT XVII.

De morte inclyti Regis Wencezslai Boemiae.

Poſtquam Rex filium ſuum, Regem Vngariae, manu valida in Boemiam reduxiſſet, morbus tiſicus ipſum inuaſit, et illa infirmitas protelata Regi ceſſit ad interitum, nobis autem prodiit in exemplum. Nam omnem ornatum, totumque lecti apparatum regalis mox in ipſo debilitatis initio ad vſum hoſpitalis Pragenſis Rex diſtribuit infirmis et egenis. Tunicam de panno vili griſeo cum amplis manicis, et ſtratum ſuum cum eodem panno ſuperducit; veſtes quoque regales pauperibus et egenis diſtribui mandauit, et capillos de capite radi permiſit, et magnam humilitatem verbis et exemplis euidenter oſtendit, et dixit ſuis familiaribus, quod ſi conualeſceret, filio ſuo reſignato Regno in Aula Regia, ſua fundatione, ſemper diſpoſuerat habitare. Et vocauit ſuos familiares, et fecit conſcribere debita, et ea ſine dilatione ſoluere. Et ad filium conuertit faciem ſuam, et ait: Fili mi, tibi iure haereditario debetur totius dominationis meae poſſeſſio; det tibi Deus prudentiam et intellectum, vt bene regere poſſes populum. Deum time, virtutes cole, pacem et iuſtitiam dilige. Et iurauit filius Patre iubente ſuper caput ſancti Wencezslai, vt pro Patre cun- 1305.

1305. cta debita ſolueret, et haeſis ſatisfacere promiſit. Similiter et Nobiles, qui aderant, hoc facere promiſerunt fideliter, et iuramento hoc confirmauerunt, et Coniugi ſuae, Dominae *Elizabeth*, XX. millia marcarum legauit nomine dotis, et ornatus ſuae Capellae diuerſis Eccleſiis diuiſit, et ſicut ſolus ſanus exiſtens conſueuerat opera miſericordiae exercere, ſcilicet nudos veſtire et eſurientes reficere, ita mandauit, vt nomine ſuo haec fierent per ſuum fidelem. Et miſſas, licet infirmus eſſet, conſuetas cum deuotione audiebat, et mirae patientiae fuit in ſuis moleſtiis et doloribus, nec aliquid contra Deum ſtultum eſt locutus, et monita ſalubria a Viris religioſis cum lacrimis audiebat, et cum magna contritione extremam Vnctionem poſtulavit, et ſi non potuit horas conſuetas dicere, tunc eas deuote attendebat.

Taliter eſt vnctus, et Chriſte magis tibi iunctus,
Hic Rex deuotus a cuncto crimine lotus;

Et peccata ſua cum lacrimis vberrimis coepit deplorare, ſic quoque dignos fecit poenitentiae fructus, et ſuum cor Deo obtulit contritum et humiliatum.

1305. Et anno Domini MCCCV, cum Rex ſex menſibus dolore valido fuiſſet thabefactus, cognouit, quod reſolutionis ſuae terminus inſtaret, conuocatis ſuis familiaribus ait ad eos: Fratres congaudete mihi et congratulamini, quod tamdiu manum Domini, quae tetigit me, correptus ſufferre merui. Ecce cito hora reſolutionis meae aduenit; nunc igitur animae meae egredienti orationibus veſtris ſubuenite, et vos Capellani ad miſſas legendas vos aptate. Ecce fecit paſſionem Domini ſecundum Mathaeum legere, quam erectis manibus deuote audiuit, et XI. Kalend. Iulii ad extremam horam veniens, ſeculo valedicens, facie ſerena in manus

Do-

Domini ſuum commendans ſpiritum, in praeſentia omnium expirauit, et ſpiritum tradidit Domino, qui dedit illum, illum inquam ſpiritum, per quem regebantur multa millia populorum. O quanta turbatio exoritur populo pro eo, quod tam ſublimis hominis vnius accidit ſublatio; ſed de oculis multorum riuuli lacrimarum profluentes oculos obnubilabant, et legerunt miſſas cum gemitibus et ſuſpiriis ſingultuoſis, et amplectentes corpus regale iam exanime ſtratum lacrimis fluentibus rigant, et ipſum corpus decenter lauant, et nobiliſſimis veſtibus regalibus ornant. Corona capiti, ſceptrum et pomum manibus imponitur, digitus annulo redimitur, et, peractis ſolempniter regalibus exequiis, in Aula Regia ſolempniter ac honorifice ſepelierunt. Et fuit in Regno magnus vlulatus et ploratus, et multi pectora tundentes ſolotenus cucurrerunt, et multis lacrimae defecerant prae magno et nimio fletu. Et omnes pariter triſtem querimoniam proponebant. 1304.

O mors, ſors dira! tuus vt quid morſus in ira
Tam mira ſaeuit, quod Regem, qui duo ſueuit
Regna pie regere, ſibi ſubdita rite tenere,
Ad te traxiſti, confunderis hac nece triſti.
Plange Boemia, fle Morauia, Sleſia, Miſna.
Tu Pomerania, Baſna, Crakouia, fundere Gneſna
Sis lacrimas prona, ecccidit tua namque Corona.
Hasque necis metas moeſtas omnis fleat aetas.
Anno Milleno Domini moriturque triceno
Quinto, mors prior es triduo quam feſta Iohannis.
Praeter menſes tres triginta quatuor annis
Vixerat, aeterna ſibi ſit pax aede ſuperna. Amen.

Aduertendum eſt, quod Rex in breui poſt mortem apparuit Domino *Iohanni*, Brixienſi Epiſcopo, in viſione facie ſerena, veſte praefulgida inſignitus, cui

1305. cui dixit: *Iohannes*, quereris! quid ploras! Cui ille: tuum, inquit, interitum, Domine mi Rex, et populi tui gemitum deplango. Ad quem Rex ait: O miser, nunquid non legisti verba haec: Cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, et habebis fiduciam proposita tibi spe, et defossus securus dormies et requiesces, nec erit, qui exterreat, et deprecabuntur faciem tuam plurimi. Et euigilans inuenit hoc scriptum in XI. Capitulo libri Iob.

CAPVT XVIII.

Quomodo Iuuenis Wencezslaus Patri succesſit in Regno, et quomodo fuit occisus.

Erat trium Regnorum Rex, *Wencezslaus* Iuuenis, Vngariae, Boemiae et Poloniae, et erat aspectu decorus, forma speciosus et naturae dotibus perfecte praeditus, gentem suam diligens. Et
1305. anno Domini MCCCV. III. Non. Octob. contraxit matrimonium cum *Phiolca*, filia Ducis de Tessyn, et sequenti anno Rex sororem suam seniorem, *Annam*, *Henrico* Duci Karinthiae Pragae in matrimonio copulauit. Et quia consortia praua corrumpunt bonos mores, nam Regi adhuc adolescentulo in Vngaria quidam Nobiles filios suos seruitio applicuerunt, qui ex iniquo contubernio ad multa illicita flexibilem iuuenis Regis animum inclinauerunt. Incepit enim cum eis lasciuire, vinum vsque ad ebrietatem bibere, noctes insompnes deducere in potatione, commensationibus intendere, prauis moribus et peruersis consuetudinibus in-

insistere. Et noctis tempore filii Nobilium, cum 1305.
Regem vino aestuare conspicerent, ab eo regalia bona petebant, et plurima ab eo obtinebant, et nonnunquam priuilegia super donatione ebria receperunt. Coronam quoque Regni Vngariae cum pluribus aliis Regni insigniis *Ottoni*, Duci Bauariae, qui etiam de prosapia Regum Vngariae processerat, voluntarie resignauit, omnique iuri regio, quod habuit in Vngaria, coram pluribus Principibus et Nobilibus liberaliter resignauit, qui Vngariam intrans, licet cum magno labore, in Regem Vngariae est coronatus. Interea Dux *Loketko* in praeiudicium iuuenis Regis plurima mala perpetrauit. Ipse vero congregata multitudine armatorum et bellatorum iter in Crakouiam arripuit, et cum in Olomucz perueniisset, ibidem in domo Decani Olomucensis letalibus percussus vulneribus, tanquam flos amabilis et lumen gentis Boemicae, interiit et decessit. Nam quidam Theutonicus Duringus, auctor sceleris et iniquitatis, faex omnis malitiae, ipsum tribus vulneribus sauciauit et sic interemit, qui quidem pessimus homicida in partes fuit dimembratus, et a canibus deuoratus. Sed huius iuuenis Regis ruina innumerabilium malorum tribuit incrementa, et dolor vniuersum populum vehemens apprehendit, et pauperibus vbique fuerunt violentiae illatae per malitiam et potentiam tyrannorum, et bona coeperunt occupari religiosorum ac secularium Clericorum, et difficile esset conscribere illa maxima dampna siue grauamina, ac mira crudelitatis exempla. Occisus est autem Anno Domini MCCCVI. 1306.
pridie Non. Augusti, aetatis suae anno XVIII.

Per morsum mortis Regum generatio fortis
Sic est deuicta, stirps masculа nulla relicta.
Foemineus sexus mansit tantummodo nexus.

1306. Hinc moeſtum thema dic gens orbata Boema.
Heu naturalis ſit nunquam Rex tibi talis.
Regnum iure gemis, quia Regibus ecce Boemis
Septem priuaris, et ſic miſere viduaris.

Heu! doleo, qui ſcripſi, et quiuis doleat legens.

CAPVT XIX.

Quomodo Dux Auſtriae Rudolphus, filius Alberti Regis Romanorum, electus fuit in Regem Boemorum, et de eius morte.

1306. Anno Domini MCCCVI. Electoribus non concordantibus vulgaris fauor clamorem excitat, et *Henricum*, Ducem Karinthiae, Regem fieri Boemiae votis optat. Porro *Albertus* Rex Romanorum audiens, quod filius ſororis ſuae mortuus eſſet, congregato exercitu ad terram Boemiae ſe applicat, et quod *Rudolphus* filius ſuus, Dux Auſtriae, eligi in Regem debeat, affirmat per nuncios ſolempnes, qui quidem, patris ſuſcepta legatione, cum armatis Regno Boemiae appropinquat. Huius rei gratia Barones cum Ciuibus in Regem eligunt ipſum *Rudolphum*, Ducem Auſtriae. Videns autem Karinthianus, quia non proficeret, latenter de Praga vna cum Coniuge ſua aufugit. Generoſa quoque virgo *Elizabeth*, filia Regis, cum pluribus aliis multum ex hoc turbatur, quia libenter vidiſſet, quod ille Dux cum ſorore ſua Regnum obtinuiſſet. Igitur *Rudolphus*, in Regem Boemiae electus, ciuitates et munitiones quasdam Baronibus contulit, et ciuibus donaria diſtribuit, ſicut promiſerat ante ſuam electionem.

nem. Dominam quoque *Elizabeth*, relictam Regis *Wenceszlai*, in matrimonio sibi copulauit. Qui quidem Rex multas iniurias Venerabili in Christo Patri, Domino *Iohanni* Quarto, Dei gratia Episcopo Pragensi XXVII. intulit, et genti Boemicae multa incommoda fecit et varias oppressiones; et sicut Rex *Wenceszlaus* fuit gentis Boemicae fidus zelator, ita iste saeuus persecutor. 1306.

Huius rei gratia Barones quidam et Nobiles praedicto Regi *Rudolpho* se viriliter opponebant, et *Henrico* Duci Karinthiae adhaerebant, et ex hoc Regno varia dampnã et incommoda multa acciderunt, et inter caetera mala, quae fecit cum magno exercitu ante Horazdyeyowicz ciuitatem Domini *Bauari* de *Strakonicz*, castra metatus est, volens ipsam expugnare, et ex percussione diuina, propter disenteriam nimis debilitatus, de hac vita decessit. Quidam vero Nobiles adduxerunt praedictum Dominum *Bauarum* ad tentorium obscurum, vbi corpus iam defuncti Regis iacebat, et compulsus timore castrum Zwiekow resignauit, et mox Dominus *Henricus* de *Rosenberch* se de eodem intromisit, et vsque hodie id filius suus, Dominus *Petrus* de *Rosenberch*, possidet et tenet. Et idem Rex *Rudolphus* caput sanctae Margaretae Virginis, et alia multa clenodia et sanctuaria ab Ecclesia Pragensi alienauit, propter quod Deus iustus Iudex dies eius abbreuiauit. Mortuus est igitur Anno Domini MCCCVII. V. Non. Iulii, anno primo sui Regni, et nullum haeredem superstitem reliquit. Et sicut Rex *Wenceszlaus*, sic et ipse XX. millia marcarum Coniugi suae nomine testamenti assignavit. Sepultus est autem in Ecclesia Pragensi. 1307.

Eodem anno fuit siccitas magna, ita, quod semina perierunt, et magnus victualium fuit defectus.

CAPVT XX.

Quomodo Henricus Dux Karinthiae in Boemiam ſit reuerſus, et quomodo regnauerit.

1307. Anno Domini MCCCVII. mittitur pro Duce Karinthiae, et vt feſtinanter in Boemiam redeat, inuitatur. Cum autem *Albertus*, Romanorum Rex, audiuiſſet filium ſuum mortuum, filium ſuum *Fridericum*, Ducem Auſtriae, volens ad regnum promouere, cum armatis in Boemiam iter dirigit feſtinanter. Et tunc facta eſt diſſenſio inter Nobiles terrae de electione. Vnde quidam Dominum *Thobiam* de *Bechina* in curia Venerabilis Patris et Domini, *Iobannis* Epiſcopi Pragenſis, nam ibi colloquium erat, in fauorem et promotionem Ducis Karinthiae, occiderunt, et propter hanc cauſam quidam Ciues Pragenſes *Hilkmarum*, virum honeſtum, etiam mectauerunt, et in malum totius Regni pars Ducis Karinthiae praeualuit, et nomen Regis Boemiae obtinuit. Romanorum vero Rex cum filio ſuo, Duce Auſtriae, inter Chutnam et Coloniam ſua tentoria collocauit, et Coloniam hoſtiliter impugnauit, et omnia bona in circuitu deuaſtauit. Quidam vero Nobiles Regi Romanorum ac ſuis viriliter reſiſterunt, et plurima dampna intulerunt, et multi a facie Karinthiani de Praga fugierunt. Videns autem Rex Romanorum, quod hyemps inſtaret, in ciuitatibus ſibi adhaerentibus viros bellicoſos in praeſidio reliquit. Ipſe vero cum filio ſuo verſus Auſtriam eſt profectus; ſed pacto firmauerat, vt aeſtatis tempore in manu forti iterum in Boemiam rediret. Sed homo cogitat, Deus autem ordinat. Nam eodem anno

in

lend. Maii per *Iohannem* nepotem, et per 1307.
lam ſuum Militem, cui multa mala fecerat,
:ciſus. Illi vero, qui ex parte ſua in Boe-
emanſerant, multi detenti fuerunt, et multi
erunt, et Karinthianus cum multis de morte
; eſt gauiſus. Et ſub iſtius regimine ſtatus
i vileſcit, impii reſurgunt, cadunt innocen-
regnat violentia, dominatur iniquitas, iudi-
et iuſtitia exulat a patria. Eccleſiae ſpolian-
Monaſteria calcantur, voluntas omnium ma-
ı habetur pro lege, frequentantur ſpolia, vi-
ım et orphanorum clamoribus nullum reme-
adhibetur, luget Clerus, vlulat populus, et
ribus annis, quibus Karinthianus regnauit,
ätio non ceſſauit. Vnde tempore ipſius Boe-
non fuit ſaluata, ſed potius plagata. Et eo-
tempore quidam ciues Pragenſes et Chutnen-
Monaſterium Czedlicz ingreſſi, quosdam No-
Regni captiuauerunt, et Iudicem de Monte
lerunt, et magnam violentiam ibidem fece-
Sed in breui illi diſcordauerunt, et capti-
ɔbiles liberi remanſerunt, et illis hoc peruen-
n malum, iſtis vero conuerſum eſt in bo-

:rra Boemorum fert pondera magna malorum,
uae non ſenſiſſet, iſtum ſi non habuiſſet
:gem, quem primo dilexit et odit in ymo.
ım ſub eo rapiunt plures, homicidia fiunt.
s creſcit, pax decreſcit, ius omne tepeſcit.
gri deſerti remanent, paucique reperti
ınt in eis fructus, quia non creſcit niſi luctus
tota terra, cum pullulet vndique guerra.
uando regit male Rex, errat grex, deficit et lex,
ficit hos faex, ingruit his nex, dampna ma-
nent ſex
ors ſolet hunc rapere, reliquum captiua tenere,

Liber

Liber ſeruire, ſeges incipit ampla perire.
Pupillus flere, de ſponſo ſponſa dolere,
Et creſcunt plura plerisque grauamina dura.

CAPVT XXI.

Quomodo Elizabeth filia Regis Wenceslai vocata fuit ad praeſentiam Regis Romanorum.

1310. Anno Domini MCCCX. fuit malus ſtatus in Regno Boemiae, nam propter iuſtitiae inopiam facultates pauperum raptae fuerunt violenter. Nec fuit, qui viduae aut pupillo de iuſtitia et iudicio reſponderet, et ſtatus Regni fuit totaliter confuſus, quia Karinthianus vocabat alienigenas ad terram in praeiudicium terrigenarum et deſtructionem. Et tunc temporis magnum diſturbium et diſſenſio in Praga oriebatur, quia exercitus magnus de Karinthia aduenit in ſubſidium ſui Ducis, et pauperes ſuis rebus ſunt depraedati, et multos in ore gladii occiderunt; diuerſa mala violenter perpetrauerunt. Miſnenſes etiam eis in adiutorium venerunt. Et ipſi de Praga mane armati, tanquam contra hoſtes pugnaturi, cateruatim exiuerunt, de veſpere vero redeuntes diuerſa pecora et multa ſpolia pauperum reduxerunt, et in circuitu ciuitatis et in villis ſanguinem innocentem effuderunt. *Iohannes* autem de *Wartemberch*, et quidam alii Nobiles, cum exercitu Boemorum ante pontem Caſtri Pragenſis, Karinthiano aſpiciente in muris Caſtri, cum Karinthianis bellum commiſerunt, et noſtrates ipſos vicerunt, Capitaneum exercitus cum aliis pluribus vulnerantes captiuauerunt.

Vnde

Vnde praedicti Nobiles ſtatum Regni cupientes 1310.
emendare, et oppreſſionibus pauperum et vocibus eorum lamentabilibus compatientes, miſerunt ad Regem Romanorum, poſtulantes et ſupplicantes, vt haeres Regni, Virgo *Elizabeth*, filio ſuo primogenito *Iohanni* matrimonialiter copularetur. Rex vero difficilem ſe reddidit ad hoc faciendum. Verumtamen Dominus *Petrus*, Archiepiſcopus Maguntinus, deſcribens ſtudioſe circumſtantias Regni Boemiae, induxit Regem ad conſenſum, vt virgo *Elizabeth* ad praeſentiam eius adduceretur, vt ipſam conſpiceret, famam et mores indagando. Et ait Rex: Sacrum Imperium, cui fauente Deo praeſumus, conſueuit eſſe diuinarum legum et iuſtitiae inuiolabile armarium; ab ipſo enim omne iniuſtum eminus eſt elongandum, cum ſit caput Regnorum et terrenarum Poteſtatum. Vnde abſque conſilio fidelium minime velim quidpiam aggredi vel attemptare, verumtamen adducatur puella, vt ea conſpecta cum conſilio aduertatur, quid ſit faciendum. Nuncii vero reuerſi Boemiam, intentionem Regis virgini et eius fautoribus narrauerunt. Vnde ipſi apud diuerſos mercatores et ciues Pragenſes virgini et eius familiae ornamenta et alia neceſſaria nomine mutui procurauerunt. Et virgo *Elizabeth* ſupplicauit Venerabili Patri, Domino *Iohanni* Quarto, Pragenſi Epiſcopo XXVII. vt ei equum ambulantem ad viam donare dignaretur, qui tribuit ei ambulatorem album, bene expeditum et ornatum, et duos ciphos argenteos altos et magnos, auro decenter ornatos, et infra ſex dies poſt reditum nunciorum cum decenti familia et congrua decentia ipſa ad ſuum exitum fuit expedita. Die autem ſeptimo, hoc eſt XVIIII. Kalend. Septemb. de Praga palam eſt egreſſa. Et cum coram Rege comparuiſſet, ipſe benigne eam ſuſcepit, et Regina fecit eam adducere ad ſuam praeſentiam,

quam

1310. quam gratioſe pertractauit. Rex autem cum haberet tractatum de iſto matrimonio cum ſuis Principibus, quidam clam hoc impedire voluerunt, aſſerentes puellam non eſſe aptam, neque dignam, et quod incolae Boemiae, ſuum Regem male conſeruantes, noſtris temporibus perdiderunt. Ad hoc Rex reſpondit: In Regno Boemiae hactenus fuerunt Reges potentes, quorum gloria partes mundi longinquas illuſtrauerat, quomodo ergo potentes fuiſſent, ſi fidelem populum non habuiſſent. Verumtamen Rex propter verba illa in ambiguitate et dubio permanſit. Aduertens hoc praefatus Dominus *Petrus*, Archiepiſcopus Maguntinus, ait: Non indignetur mihi Dominus Rex ſuper his, quae ſum locuturus: Antequam de manu filii veſtri tale et tantum dimitteretis Regnum, copulare filio veſtro deberetis adhuc ignobiliorem virginem, quam eſt iſta, vel Matronam, quae quinquageſimum attingeret annum. His verbis et aliis Rex fuit finaliter ad conſenſum inclinatus. Aſſignauit igitur Rex nuptiarum locum et tempus: ab illo enim die, ſcilicet ab VIII. Kalend. Auguſti vſque ad Kalend. Septemb. tempus veniendi in Spiram Imperialem ciuitatem illi puellae, filii noſtri ſponſae, ſtatuimus, et finaliter terminum aſſignamus.

Omnes diſcamus, in hoc alios doceamus,
Quantum ſit mitis Rex coeli, qui, quaſi vitis
Florida dat fructum, pellens cum vult cito luctum.
Contra ſe bella timuit nimis iſta puella,
Atque gemens mente, gemino ſpoliata parente,
Stabat turbata, tamen eſt nunc laetificata,
Cum ſit adoptata Regi, quaſi filia grata.

CAPVT

CAPVT XXII.

Quomodo Imperator filio ſuo in Spira et Virgini Elizabeth ſolempniter peregerit feſtum nuptiarum.

Cum Rex Romanorum vellet celebrare filio ſuo primogenito ſolempniter feſtum nuptiarum, miſit ſeruos ſuos, et vocauit Principes multos et Comites et Barones, et cum gaudio in Spiram peruenerunt, et ibidem mandauit Rex, vt ſe et ſua ſinguli habilitarent ad augendam et agendam gloriam illius feſtiuitatis. Et praecepit Rex ſuis Procuratoribus omnia neceſſaria aptari, ſicut congruebat regiae Maieſtati. Omnibus tandem apparatibus et indigentiis ad feſtum hoc celebre adaptatis, et parietes domorum biſſus et purpura veſtiebat. Et auditae ſunt voces multorum dicentium: Salus, honor, virtus, et Imperium ſit tibi Rex noſter, quia tu es Rex pacificus et magnificatus, et vultum tuum deſiderat videre vniuerſa terra. Clamant enim iuuenes et virgines, ſenes cum iunioribus vna voce dicentes: Viuat Rex cum filio ſuo in aeternum. Et fuit ibi conuiuium ſolempniter peractum. Rex cum Principibus, Regina cum ſponſa et ſuis iocundiſſime epulabantur. Circa vero nonam diei illius horam Rex coram Principibus ait: Regnum, vt conſuluiſtis, Boemiae *Iohanni* filio meo confero, vt autem ius fortius ſibi competat, hodie ſibi virginem, eiusdem Regni haeredem, legitime copulare matrimonialiter nos delectat, et iuſtitia dictat, vt hoc Regnum ab Imperio in feodo accipiat, aliorumque Principum titulum ex hoc leganiter obtineat et notorie. Verbum Regis placet omnibus, quia prius fuit de- 1310.

1310. deliberatum. Et assumptis Rex cunctis Electoribus et Principibus et aliis Comitibus ad hostium Ecclesiae maioris in Spira, Rex regalibus solempniter indutus vestibus, venit, sceptrum habens in manu, sedebatque in solio, in capite suo gestans auream coronam. Et factus est repente sonus ex clamore laetantium populorum, et ex concursu ex omni genere Musicorum. Et venit filius cum maxima comitiua cum vexillis Regni Boemiae. Et facto per filium iuramento, sicut caeteri Principes facere consuecuerunt Imperio sacro, ipse sibi Regnum Boemiae contulit, et titulum et Principis nomen, et omnibus suis haeredibus dedit leganiter et donauit, et postea ipsum est osculatus. Dominus vero *Iohannes*, Colonienſis Archiepiscopus, praemissis verbis ad matrimonium requisitis, *Iohanni*, Regis filio, *Elizabeth* virginem in matrimonio legitime copulauit. Et in crastino Dominus *Petrus*, Maguntinensis Archiepiscopus, coram sponso et sponsa missam de Sancto Spiritu solempniter cantauit, et munus benedictionis ab ipso susceperunt.

Et ante prandium oriuntur verba contraria inter Archiepiscopos, quis eorum deberet recumbere ad dextram Regis. Rex vero haec sapienter sedauit. De hiis vero Archiepiscopis hoc tenetur: Maguntinensis, Treuerensis, Colonienſis, quilibet Imperii sit Cancellarius. Horum Maguntinus per Germaniam, Colonienſis per Ytaliam, Treuerensis per Galliam Archicancellarii titulum habet; praecedit autem Maguntinus dignitate, Colonienſis potestate, Treuerensis antiquitate. Treueris autem longe fuit ante Romam. Et in hac nuptiali solempnitate Milites, qui ad mensam ministrabant, praecedentibus et praecinentibus tubis, buccinis, timpanis et choris, phaleratis dextrariis insidentes, quae-

quaelibet fercula decentiſſimo ordine ſeruato apportabant. Tranſibat inter menſas conuiuarum validus exercitus armatus militiae praedictae, qui ad conſeruationem laetitiae fuerat deputatus. In medio epulantium ante menſam regiam erectum eſt vexillum, Regni Boemiae habens ſignum. Decorabat has nuptias tanta diuitiarum delitiarumque gloria, ſicut a multis temporibus fuit viſa Regum Romanorum, et poſt opulenta conuiuia, conuiviis innouantur ſolatia, diuerſis tamen diuerſa, alii quidem tripudiis, alii choreis, alii haſtiludiis ſe exercent, et tota Spirenſis ciuitas exuberanti reſultat laetitia, et vox reſonat laetitiae et exultationis. In illo autem tyrocinio haſtas teretes et robuſtas, quas geſtabant Boemi, vibratas cuncti aſtantes mirabantur. Sed alii de alia gente galeati contra eos equitare formidabant, et aduentui Boemorum nullus ſe vltroneus offerebat, et ſi forſitan quis metas exiuerat incautus, ne venienti occurreret, deuia in equo quaerebat. Si vero aliquis obuius fuit, tantum ictum haſtae pertulit, quod de equo cecidit, aut haſta fuit in partes confracta minutas. Haec facta ſunt ad nouae ſponſae gloriam et honorem. Et ad veſperum benedictione praeuia ſponſus et ſponſa in lecto adunantur. Mane altero ſurgitur et gaudiis inſiſtitur, et ſic dies illa et tota ebdomada iocundis gaudiis expenditur et finitur. 1310.

Quiuis in hoc facto poterit tunc temporis acto,
De quo laudetur coelorum Rex et ametur.
Laudatur digne Deus, a quo virgo benigne
Sic ſublimatur, et in alta ſede locatur.

CAPVT XXIII.

De circumſtantiis miſſionis in Boemiam Iohannis Primogeniti Imperatoris.

1310. Imperator miſſurus *Iohannem*, filium ſuum Primogenitum ad Regnum Boemiae, aduertit id ſatis perplexum et grauatum, et obligationibus obrutum. Vnde praecepit omnibus circa Renum Principibus et Comitibus, vt eſſent omnes ad praelium parati, et vt omnes VIII. Kalend. Octob. circa Nuernberch conſtituti, filio ſuo verſus Boemiam conducentes ferrent auxilium. Et mox ſtipendia plurimi ſuſceperunt, nouoque Regi conſtanter et fideliter obſequia promiſerunt. Et tunc temporis tres exexcitus Imperator in Spira diſpoſuit: primum in Ytaliam, ſecundum contra Comitem *Ebrbardum* de *Wiertenberch*, tertium filio verſus Boemiam, et omnes Domino opitulante ſunt bene proſperati. Nuncii de Boemia Regi dixerunt: Populus, inquiunt, Domine Rex, qui in Boemia eſt, aduentum filii tui, Regis ſui, deſiderat nimis et expectat, ipſum namque pars aduerſa infeſtat. Vnde ſi moram fecerit filius tuus in veniendo, adiutoribus noſtris ſupercreſcet deſperatio, contradictoribus vero conſolatio. Mitte igitur nunc Regem noſtrum cum paucis, et ſecure de noſtris triumphabimus inimicis. Ad quod Rex ait: Nolite, inquit, tale conſilium mihi dare, vt meum a me tam ſubito mittam filium et filiam, quos Deus Omnipotens mihi dedit ad conſolationem. Fruar ergo pro tempore dulci praeſentia puerorum iſtorum, et delectabitur in eis anima mea. Nec tamen hac cauſa de manibus meis Boemia labetur. Ecce nunc aſcendam Alſatiam in ciuitatem Columbariam, et pueri mei mecum ibunt,

et

et vos ibitis illuc. Et non erat, qui auderet con- 1310.
tradicere verbis Regis. Et cum veniſſent in praedictam ciuitatem, VIII. diebus manſerunt ibi, et de bono ſtatu Imperii tractans magno ſolatio cum pueris fruebatur. Et in receſſu in tantum naturalis dilectionis affectum filius vnigenitus turbauit per ſuum diſſceſſum, quod pater et mater plorantes, lacrimas vberrimas emiſerunt, et mater vltimam noctem propter amaritudinem et moeſtitiam totaliter duxit inſompnem, nec ab aliquo ſuſtinuit conſolari. Et poſtquam nuncii recepiſſent licentiam a flente Regina, poſtea intrauerunt ad Regem, habentem plus ſolito vultum ſerioſum, in dextera ſua filium tenentem. Et commiſit nunciis filium cum diligentia magna. Qui reſponderunt: Fides noſtra, Domine Rex, circa *Iohannem* filium tuum Primogenitum, ſtabimus ſemper cum eo integro corde et toto poſſe. Et receſſerunt nuncii a Rege et a Regina cum filio facie ſerena et mente laeta. Deinceps ab illa die filius non vidit faciem ſuorum parentum vſque ad diem extremum mortis eorum. Proceſſit denique tunc Rex Romanorum verſus Lombardiam, filius vero verſus Boemiam; et in breui nuncios terruit prauus rumor, videlicet, quod Praga fuiſſet tradita a Karinthiano *Friderico* Marchioni Miſnenſi, et ſuo exercitui, et factum eſt hoc anno Domini MCCCX. in die exaltationis 1310.
ſanctae Crucis. Eodem anno vina et vineae quaſi penitus perierunt.

a Eodem etiam anno Karinthianus de monte Chutnenſi cum Miſnenſibus proceſſit Pragam, quam hoſtiliter in gyro circumcinxit. Plurima vero turba de ciuitate plus Karinthiano, quam Regi venturo de ſorte fauebat. Huius autem fuit cauſa favoris diuerſa: quidam enim Karinthiano pecunias conceſſerant, alii propter ſuam diſcordiam, quia

1310. ſub eo ſine timore ſe de hoſtibus vindicabant, et alii de ſpoliis pauperum ditari quaerebant, et hii omnes ad ipſum zelum habebant. Inter quos *Wolframus*, ciuis Pragenſis, hoſpitale Pragae in caſtellauit, et vt victualia Miſnenſibus ciuitatem impugnantibus venderentur, conſuluit, et qui inimicum munit, ſe ipſum punit. Domina quoque *Anna*, coniunx Carinthiani, in domo *Nicolai* de *Turri* in nouo foro reſidentiam habebat, vnde Rex Karinthianus prò libitu permittitur intrare et exire. Huius rei gratia totus ille malignus Miſnenſium exercitus hoſtiliter Pragam intrauit, et eam humiliauit. Vnde multi videntes dolum et traditionem in ciuitate, latenter de ipſa fugierunt. Fidem namque, quam *Iohanni* venturo Regi ſeruare promiſerant, violabant. Et multi, qui fuerant de ciuitate reiecti, cum iſto erercitu ſunt reuerſi. Multi quoque pauperes et diuites plurima dampna ex iſta traditione ſuſtinebant. De illis autem, qui ciuitatem intrauerant, quilibet, prout voluit, domum cuiuslibet hominis occupat, quidquid ibi invenit, ſpoliat, renitentes cruciat, et illa Miſnenſis perfida gens muros et parietes in hoſpitiis ſuis perforat, pauimenta dilaniat, theſaurosque abſconditos reperire ſe ſperat. Et in quadam cloaca V. millia marcarum inuenerunt. Et omnes illi dant ſceleri operam, quia nulla poena conſequitur culpam, et non ſolùm ciuitas, ſed et eius confinia ſpoliis grauabantur. Facta eſt ciuitas inclyta velut latronum ſpelunca. Per diſcordias vero et violentias continuas vino compunctionis facta eſt velut ebria, et viribus ſuis fuit exinanita. Et eodem tempore Eccleſiae et Monaſteria diuerſa grauamina patiebantur.

O quantum mordes, mala tu diſcordia ſordes.
Diſrumpit foedus actus tuus vndique foedus.

Prae-

Praelia confortas, tu plura grauamina portas, 1310.
Qui diſcordare conſueuit vel ſpoliare,
Nunquam ditatur, ſed cum luna variatur.
Inuidias, iras retinens in pectore diras.
Quam mala ſit plaga litis, monſtrat bene Praga,
Et expugnata bis in anno lite grauata.
Iſtud ciuilis fecit diſcordia vilis.

CAPVT XXIV.

Quomodo Iohannes filius Imperatoris cum exercitu valido Boemiam intraverit, et Pragam expugnauerit.

Poſtquam Rex Boemiae *Iohannes* a patre ſuo, 1310.
Rege Romanorum, in Columbaria ciuitate ſeparatus fuiſſet, et poſthac in Nuernberch de Reno veniens per dies XIIII. congregationem Principum et validi exercitus habuiſſet, et in die beati Lucae Euangeliſtae a Nuernberch exiret, verſus Boemiam proceſſit. Fuerunt autem in ſuo exercitu: Dominus *Petrus*, Maguntinenſis Archiepiſcopus, *Rudolphus* Dux Bauariae, Comes Palatinus, Dominus *Philippus*, Eynſtenſis Epiſcopus, Abbas de Vulda, *Fridericus*, Purcrauius de Nuernberch, *Berchtoldus*, Purcrauius de Henberch, *Lodeuicus*, Comes de Hoting, *Albertus*, Comes de Hochlok, *Henricus* de Brunek, Aduocatus de caſtello Sueviae, plures quoque alii Comites et nobiles liberae conditionis. Erat autem exercitus horum magnus et fortis valde, electus ex omni militia florida germinantis Germaniae; recenſiti ſunt autem plures quam tria millia pugnatorum, exceptis hiis, qui cottidie affluebant. Et in die omnium San-

1310. ctorum Rex *Iohannes* cum ſuo exercitu flumen, quod Egra dicitur, tranſiuit difficulter cum rerum iactura. Cum autem eſſet in Budyna, miſit Rex ad Venerabilem Patrem, Dominum *Iohannem* Quartum, Epiſcopum Pragenſem XXVII. in Rudnycz, ab ipſo adiutorium petens. Qui propria in perſona ad ipſum venit cum exercitu magno et robuſto, et in die beatae Elizabeth ante Montem Chutnam peruenerunt et impugnare viriliter coeperunt. Erant autem ibi quidam Nobiles ex parte Karinthiani, qui ibi reſidebant, et plurimos gladius conſumpſit, et plurimi de parte aduerſariorum ſunt captiuati.

Videns autem Rex, quod non eſſet tempus aptum actibus bellicis, nam yemps horrida aduenerat, cuncta arua grauiter conſtringens, Dominusque *Petrus* Maguntinus Archiepiſcopus cum verbis pacificis miſit Coloniam, ſuadens, vt Rex intromitteretur. Ciues autem reſponderunt: Quidquid Praga Metropolis fecerit, hoc ſimiliter faciemus. Deinde Pragam totus exercitus venit cum impetu magno. Vnde Karinthianus, qui ſe pro Rege geſſerat, cum hominibus Marchionis Miſnenſis, hii ad reſiſtentiam ſe aptabant. Plures autem Nobiles et ciues Regi *Iohanni* adhaerebant. Vnde ſecrete mittunt nuncios ad amicos ſuos, vt communi bono intendant, et Regi *Iohanni* adhaereant. Et variis exortationibus hoc procurant: Quibusdam munera promittuntur, et aliis terrores incutiuntur, et ſic multorum animus ad Regem *Iohannem* inclinatur. Vnde latenter conueniunt, et quid agendum ſit, inquirunt, et ſecreta conſilia ſua amicis demandant, et ſignum dederunt: quando maior campana die craſtina ad ſanctam Mariam in laeta curia pulſabitur, mox de caſtris ſurgite, et ciuitati cum feſtinatione appropinqua-

te;

te; ſi autem ſecundo et tertio ſonus campanae inualuerit, nequaquam moram facite. Et talis ordinatio maxime fuit neceſſaria, frigus enim erat valde intenſum et magnum, tunc nix, gelu, bruma glacie terrae ſuperficiem operiebant, vnde homines et iumenta nimium laedebant, habitabant enim in tabernaculis et tentoriis. Deficientibus quoque lignis raro fuit viſus ignis, magni enim dextrarii et alii equi plurimi ex laeſione frigoris fuerunt excoriati; deficiebant quoque tam animalibus quam hominibus alimenta. Die autem craſtina, hora quaſi IX. III. Nonas Decemb. multi viri armati, Regi *Iohanni* adhaerentes, fuerunt conglobati, quorum vnus mox turrim beatae Virginis aſcendit, et campanam pulſauit. Ad hunc ſonitum ſe mouit exercitus, et ad ciuitatem feſtinat, ad diuerſas autem partes ciuitatis exercitus ſe applicat, et vbi ingredi vrbem debeat, diligenter explorat. Interea hinc inde iacula volant, et aliquos vulnerant. Milites vero Venerabilis Patris, Domini *Iobannis* Quarti, Epiſcopi Pragenſis XXVII. irruentes ad portam circa longam plateam, eam potenter et viriliter excuſſerunt, et primi ciuitatem intrauerunt; deinde totus exercitus poſt ipſos ſubintrauit, et maximus erat ingredientium fragor et thumultus. Ingreſſus eſt igitur Rex *Iobannes* Pragam, et cum eo magnus exercitus pugnatorum, omnes quidem tenentes galeas in humeris, et in manibus extractos gladios fulgurantes. Karinthianus autem et Miſnenſes ad caſtrum Pragenſe confuſe fugierunt. Clamabatur ſtatim ex iuſſu Regis ab omnibus; Pax, pax, pax. Singuli autem incolae ciuitatis mox aperiunt hoſtia, quae prius fuerunt clauſa, et gaudenter conſpiciunt noui Regis magnalia, depulitque priorem violentiam felix noua pax. 1310.

1310. Eadem die quilibet, qui male fuit depulſus, ad id, quod ſuum eſt, rediit, timorem deponit, ſecurus dormit, arma ciues deponunt, concorditer mox ambulant Domino Deo gratias agentes. Et V. Idus Decemb. nocte media, cum coniuge ſua Domina *Anna* ac tota ſua familia, Karinthianus latenter aufugit de caſtro Pragenſi. Receſſit igitur omnibus dormientibus de Regno confuſus, qui plus quam tribus annis in ipſo regnauerat regimine ſat confuſo et ignominioſo.

Felix haec hora fuerat, quando meliora
Tempora venerunt, quae lites depoſuerunt.
Felix introitus fuit hic Regis, quia ritus
Pacis portauit, cum qua Pragam releuauit.
Felix es terra, tu tota Boemia, guerra
A te ceſſabit, tecum pia pax habitabit.
Felix inuictus ſit, et ipſe Deus benedictus,
Qui delere bilem vult per Regem iuuenilem.
Felix vox reſonat, quae pacis munera donat.
Pax, pax clamatur, ex hocque rapina fugatur.

CAPVT XXV.

Quomodo Rex Iohannes pacem in Regno Boemiae ordinauerit, et quomodo coronatus fuerit.

Rex nouus primam curiam indicit, et, vt omnes Boemiae Magnates in feſto Natiuitatis Domini Pragam veniant, cunctis ſcribit. Omnes itaque Barones ac Nobiles Regni obediunt huic edicto, et in Pragam pacifice, vt Rex imperauerat, concorditer veniunt et iocunde, portantes veſtimenta militaria, dimittentes domi arma bellica, quae prius cotti-

cottidie ferre consueuerant, vbique praelia suspi- 1310.
cantes. Regem quoque proni suscipiunt et honorant, seruitia prompta Regi suo exhibent, fidelitatisque perpetuae iuramenta cum omagio sibi praestant et promittunt pacem in Regno facere et seruare. Pax igitur fit, quia Deus auctor pacis et amator sic facere tunc disposuit. Replentur campi ex hoc vbertate, ex illa salubri tranquillitate. Qui enim sua deserentes tempore guerrae fugierant, reuertentes agros seminauerunt, vineas plantauerunt, et fructum diuersum fecerunt. Reliquias quoque Karinthianorum et Misnensium, qui in quibus vrbibus et munitionibus fuerant dimissi, Rex *Iohannes* mox de finibus Boemiae eos exterminat et expellit, plurimas quoque Regni munitiones dissipatas et a Nobilibus occupatas Rex recuperat et reformat.

Congregati quoque in vnum omnes Barones 1311.
et Magnates ac Nobiles Regni, cuncti dixerunt ad Dominum *Petrum*, Maguntinum Archiepiscopum: Regem nostrum *Iohannem*, quem Dominus Deus dedit nobis, sacrum quoque Imperium Regno nostro legaliter praefecit, ipsum, Domine Reuerende, sacrae vnctionis et beneficio coronationis ex vestro officio dignemini benedicere et consecrare. Quibus mox suum praebuit consensum. Vnde ad huius festiuitatis laetitiam, qua poterant decentia se disponunt. Cum itaque omnes Nobiles Regni et personae grauiores Pragam venissent, ecce pridie Non. Febr. quae fuit Dominica dies proxima post Purificationem beatae Virginis Mariae, Dominus *Iohannes* Rex cum coniuge sua Domina *Elizabeth* in Ecclesia Pragensi ante altare S. Viti regali dyademate vna cum sua conthorali, per praefatum Dominum *Petrum* Archiepiscopum, fuit solempniter coronatus; aduenerant tunc omnes

1311. Regni Officiales ſua officia legaliter exequentes. Venerabilis quoque Pater, Dominus *Iohannes* Quartus, Pragenſis Epiſcopus XXVII. cum praedicto Domino *Petro* Archiepiſcopo Regi aſtitit immediate, principaliter ad hoc feſtum de neceſſariis providendo.

Plebs tunc laetatur et Regi congratulatur.
Quando coronatur Rex, gens gaudens animatur.

Poſt miſſae officium Rex cum Regina cum magna deſcendunt gloria, et maxima turba precioſis veſtibus induta antecedebat eos et ſequebatur. Rex autem et Regina electis dextrariis erant inſidentes, et ſuper eos velum velut coelum rutilans erectum, quatuor epiſtiliis ferebatur, et cum thubis, citharis et organis, tympanis et choris, et in omni genere muſico laetabunda concio deducebat. Et ad ſanctum Iacobum in refectorio Fratrum Minorum, et in aliis pluribus locis ſplendide ſunt epulati. Et multi de hoc mirabantur, quod Rex *Iohannes*, qui Pragam intrauerat menſe Decembri, in ſequenti menſe Febr. decenter Regni dyademate fuit coronatus.

Omnes laetantur, lautosque cibos epulantur,
Et qui cernebant ſolempnia tanta, ſtupebant,
Ac admiratur, quod gloria tanta paratur.

CAPVT XXVI.

Quomodo Rex Iohannes Morauiam intrauerit ipſamque pacificauerit.

Cum ſub manibus Regis *Iohannis* omnia proſperarentur, totaque Boemia ſuis pareret mandatis,

datis, placuit Regi de ſtatu Morauiae, qualis eſſet, 1311.
videre. Menſe igitur Maio eodem anno, ipſe eſt annus Domini MCCCXI. Rex *Iobannes* intrauit Morauiam in manu valida ipſam diſpoſiturus. Venerabilis quoque Pater, Dominus *Iobannes* Quartus, Pragenſis Epiſcopus XXVII. miſit cum eo validum ac robuſtum exercitum armatorum, preſſurae namque continuae ipſam grauiter moleſtauerant, ſicut et Boemiam. In Olomucz quoque primo applicuit, vbi cum ingenti gaudio ab vniuerſo populo eſt ſuſceptus, et per XII. dies ibi, quae pacis ſunt, ſagaciter ordinauit. Venitque tunc ad Regem *Boleslaus*, Dux Wratislauienſis, et terram Opauiae Regi voluntarie reſignauit. Nobiles enim illius terrae Ducem *Nicolaum* repulerant, et ſe praedicto Duci ſubdiderant. In eadem quoque concordia Rex promiſit Duci *Boleslao* dare et ſolvere in certis terminis VIII. millia marcarum argenti, non ſolum propter terram Opauiae, ſed vt de caetero de Regno Boemiae Dominae *Margarethae*, vxoris ſuae, dotalitium Dux ille non exigat vel requirat. Regis namque *Iobannis* et Ducis Wratislauienſis vxores, Regis *Wenceslai* filiae fuerunt, et mutuo ſibi ſorores. Conſuetudo namque hactenus fuit Regum Boemiae, vnicuique filiarum ſuarum, cum nubet conſortio virili, in ſponſali dotalitio X. millia marcarum argenti aſſignare.

De Olomucz quoque Rex exiens greſſus dirigit verſus Brunnam, vbi non ſolum a Clericis et ab vniuerſo populo Chriſtiano, ſed etiam a tota ſynagoga Iudaeorum magnifice fuit ſuſceptus, et ibidem pacem intus et foris ordinat, et ex hoc tota congratulans plebs exultat. Et tunc inter Regem et *Fridericum* Ducem Auſtriae concordia et amicitia cum mutuo praeſidio promittitur. Reforma-

formata igitur pace per totam Morauiam, Rex regreditur in Boemiam, terram vniuerſam peragrat, ciuitates ſingulas viſitat, caſtella et munitiones, vnde latrocinia fiunt, humo coaequat. Poſtea in Morauia inſurrexerunt viri maligni, qui prius latrocinia plurima committere conſueuerunt.

Nam quod conſueſcit, dum vult, dimittere neſcit

Incolae igitur Morauiae, quae mala a malis patiebantur, Regi inſinuant, et regale praeſidium deprecantur. Menſe igitur Iulio, aduentus ſui
1312. anno tertio, ipſe eſt annus Domini MCCCXII. Rex *Iobannes* de Praga exiuit, et in ſubſidium Morauis procedit. Venerabilis quoque Pater, Dominus *Iobannes* Pragenſis Epiſcopus cum eo dirigit electam multitudinem armatorum. Vnde aggreſſi inimicorum caſtra viriliter impugnant et expugnant, et multi malefici, qui fuerunt in eisdem caſtris, ex iuſſu Regis capitibus ſunt priuati, et alii plures vario modo ſunt interempti. Eodem tempore execrabilis fuit frugum terrae ſterilitas tam in Boemia quam in Morauia, ita quod multi pauperes prae fame diſcederent ex hac vita. Nam menſura ſiliginis, quae vulgariter Strich nuncupatur, ſoluebat XXX. groſſos Pragenſes.

CAPVT XXVII.

Quomodo Rex in Nuernberch curiam celebrauit.

1313. Anno Domini MCCCXIII. in feſto Epiphaniae Domini, *Iobannes* Rex Boemiae, quia Vicarius Generalis erat ſacri Imperii per Germaniam, curiam ſolempnem in Nuernberch celebrauit, in

qua

qua fere omnes Principes Alamaniae, et Comites affuerunt, et qui per ſe ipſos adeſſe non poterant, illuc ſolempnes ſuos nuncios transmittebant. Venerabilis quoque Pater, Dominus *Iohannes* IIII. Pragenſis Epiſcopus XXVII. fuit ſpecialiter ad hoc rogatus, et tranſiuit cum magna et ſolempni militia, ingentique honore cum Rege, et ibidem Regi fecit magnum honorem et Baronibus Boemiae, et multiplicem conſolationem. Et inter caetera ibi praeceptum erat, vt Domino *Henrico* Imperatori, qui tunc obſederat Florentiam ciuitatem, transmittere deberent homines pugnatores, et hoc mandatum pariter omnes obedienter ſuſceperunt, et aeſtate tunc ſequente congregatis exercitibus proceſſerunt. Sed heu! morte Imperatoris audita ad locum certaminis non peruenerunt, nam cum Mediolanum, Cremonam, Briſnam et alias plures ciuitates Caeſar magnificus vi praelii ſuppeditaſſet, et maxime Piſanorum et Ianuenſium ſuffultus auxilio, qui ſibi ingentem copiam auri et argenti offerebant, tandem ad vrbem Romanam peruenit. Plures vero Romanorum, quia de aduentu Caeſaris doluerunt, *Roperto* Regi Apuliae, quem vocauerant contra Imperatorem, aſtiterunt, et non modicum impedimentum praeſtiterunt. Vnde in vrbe Romana Caeſar cum aduerſariis habuit praelia multa, et ſemper fretus eſt victoria. Et anno Domini MCCCXIII. 1313. in die beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum a quatuor Cardinalibus, quibus Dominus Papa ſuas vices commiſerat, ad ſanctam Mariam Rotundam, decenter, reuerenter et legaliter fuit Caeſar coronatus. Et cum ſuo exercitu trans Tiberim tranſiit potenter, et hoſtium cuneos ſtrenue penetrauit, et Eccleſiam beati Petri intrauit, et tota concio Cleri ſolempniter cecinit: Te Deum laudamus. Deinde tranſiens contra Florentiam, ipſam obſedit.

Incly-

1313. Inclyta autem vrbs Neapolis Caesari instanter supplicat, vt se de ipsa intromittat. Vnde relinquens magnam militiam ante Florentiam iter arripuit versus praedictam vrbem. Cum autem esset ante ciuitatem Senis, in vigilia Assumptionis beatae Virginis Mariae, praehabita confessione, a Fratre *Bernhardo* de ordine Praedicatorum accepit corpus Christi, qui digitos lauans venenum vino miscuit, et Caesari bibituro porrexit, qui mox dolore fuit grauatus, et post dies sex feliciter ad Dominum migrauit. Ille autem maleficus ad hostes fugit in continenti.

Sequenti vero anno impletum est Dominae *Elizabeth* pariendi tempus, et peperit filiam primogenitam, quam nomine Imperatricis Romanorum, *Margaretham*, appellauit.

Cum autem Rex *Iohannes* et Dominus *Petrus* Archiepiscopus Maguntinensis, cum aliis pluribus Principibus cum maximo exercitu ad Sweuiam peruenissent, venerunt tunc Legati, et vtique ingrati, qui mortem Caesaris nunciauerunt, et hoc literis in oculis gementium declarabant. Tunc acerbi doloris aculeus transfixit cor Regis *Iohannis*, et multorum Principum aliorum. Dixerunt quoque Principes ad Regem: Ex quo, Domine Rex, Pater vester, qui causa nostri itineris exstitit, ex hoc seculo migrauit, nil aliud restat, nisi quod cum festinatione reuertamur. Sic igitur tum Rex cum suo exercitu reuertitur, hunc latrunculorum rapacitas passim latenter aggreditur, et qui sequestratim ab exercitu graditur, mox capitur et aufertur.

1314. Anno Domini MCCCXIIII. XII. Kalend. Maii obiit Dominus *Clemens* Papa V. IX. anno sedis suae. Hic Papa prius Burdegalensis Episcopus, et fuit de Vasonia natione, qui omni tempore Papatus

tus ſui ad vrbem Romanam non peruenit, ſed in 1314.
locis occidentalibus, vbi et prius fuerat, *Philippo* Regi Franciae in pluribus obtemperans vſque ad obitum ſuum ibi manſit. Hic etiam Papa anno Domini MCCCXI. Wienenſe concilium celebravit, in quo ſub praetextu pietatis et ſub opinione paſſagii generalis decimam impoſuit generaliter toti Clero. Et quia Rex Franciae ibidem crucem aſſumpſit cum duobus ſuis filiis promittens, quod perſonaliter illi paſſagio vellet intereſſe, vnde Papa ſibi omnem decimam colligendam de Clero aſſignauit. Praedictus etiam Papa potentem ordinem, per totum mundum celebrem, Ordinem Cruciferorum Templariorum, aſcribens eis quosdam errores haereſis, abraſit de gremio Eccleſiae totaliter et deleuit, cuius Ordinis Magiſter anno Domini MCCCXIIII. non *i)* contradicente Papa, per Regem Franciae miſerabiliter menſe Aprili Pariſius eſt igne crematus. Aliae vero eiusdem Ordinis perſonae plurimae, aliae tormenta paſſae, aliae relicto habitu regulari ſeculum intrauerunt. Opinio tamen dictabat plurimorum, quod dictum Ordinem non peſtis haeretica, ſed ipſorum poſſeſſio latiſſima, et malorum hominum auaritia deleviſſet. Praedicto concilio Dominus *Iohannes* Pragenſis Epiſcopus interfuit, ſed Dominum *Petrum* Archiepiſcopum Maguntinum, qui tunc cum *Iohanne* Rege Boemiae in Boemia fuit, propter preces Domini *Henrici* Imperatoris Papa ab illo concilio habuit ſupportatum. Factum eſt autem poſt mortem Papae, quod ſecundum conſtitutionem ſexti libri Decretalium omnes Cardinales in Carpentarato poſiti fuerant in conclaui. Et quia inter Cardinales incluſos, quorum quidam fuerunt Ytalici, quidam Francigenae, et aliqui Vaſcones, facta eſt diſſenſio, ita, quod in Papae electione non poterant con-

i) Non recentiori atramento deletum in MS.

concordare, et ſunt ab inuicem ſine omni fine ad Regiones varias ſequeſtrati.

1315. Et anno Domini MCCCXV. Kalend. Iunii nata eſt Domino *Iohanni* Regi Boemiae, nomine *Guta*, filia ſecunda.

CAPVT XXVII.

Quomodo Rex Iohannes cum exercitu magno in Vngariam proceſſit.

Ad compeſcendam proteruiam et acerbam violentiam, quam terrae Morauiae ſpoliis, incendiis, hominumque abductionibus nequitiae fomes, Comes *Matbias* de *Trencz*, multis modis intulerat, copioſam multitudinem armatorum tam indigenis quam alienigenis Dominus *Iohannes* Rex
1315. Boemiae conuocauit. Et anno Domini MCCCXV. XII. Kalend. Iunii de Praga exiens verſus Vngariam procedebat. Et cum ingreſſus fuiſſet Morauiam, Vngari quidam audita fama, tacti metu, munitiones, quas in metis Morauiae occupauerant, igne appoſito voluntarie concremauerunt. Rex vero primum caſtrum inimicorum aggrediens, viriliter expugnauit, quo facto ante illud caſtrum, quod Alba vocatur, exercitus collocatur. Praedictus vero Comes cum ſuis coadunatus ſatis hoſtiliter exercitui Regis appropinquat, et cum magna vociferatione iacula ſiue ſagittas, ad modum niuis vel cineris, ſpargunt, et in prima congreſſione multos de exercitu inuaſerat terror. Quidam vero Barones Boemiae cum exercitu Venerabilis Patris, Domini *Iohannis* Quarti, Pragenſis Epiſcopi XXVII. in vnum conglobati, hoſtium cuneos, veluti telam araneae diſſipantes, penetra-

verunt,

verunt. Et corruerunt ipſo die et necati ſunt bene CC. de Vngaris, et niſi vnus de Boemis. Qui quidem Comes videns ſe Regi reſiſtere non poſſe, quaeſiuit per amicos ſuos amicabilem compoſitionem, quam, licet cum magnis laboribus, inuenit. 1315.

Et eodem anno poſt magnam ſiccitatem nimia inundatio diluuioſa fuit aquarum, ſpecialiter tamen fluuius Albea, proprium excedens alueum, per loca circumiacentia villas et ſtabula inebriat, horrea et molendina ſecum deducens, euulſit. Porro in tantum ſe flumina in altum creſcentia eleuaverant, quod in villis circa ſepes et hoſtia nauigio remigabant.

Et ſequenti anno duo Reges Romanorum ſunt electi; vnde cum prius Electores concordare non potuiſſent, Dominus Maguntinus, qui eſt quaſi Decanus eorum, terminum peremptorium praefixit, in quo Dominus *Petrus* Maguntinus, *Balduinus* Treuerenſis, Archiepiſcopi, *Iohannes* Rex Boemiae, *Woldemarus* Branburgenſis Marchio, *Lodeuicum* Ducem Bauariae in Regem Romanorum elegerunt. Ex parte vero altera *Iohannes* Colonienſis Archiepiscopus, *Rudolphus* Dux Bauariae, *Lodeuici* tunc electi germanus, et *Iohannes* Dux Saxoniae, *Fridericum* Ducem Auſtriae, Regem Romanorum proclamauerunt. Et Dominus *Lodeuicus* Electus Aquisgrani per Dominum Maguntinum in ſede Regum collocatur, nec non regio dyademate vna cum *Margaretha* ſua Coniuge ſolempniter inſignitur. Et Dominus Maguntinus oſtendit ibidem per Papalia et Imperialia priuilegia, quod per ipſum Regum Almaniae coronatio eſſet celebranda. Colonienſis autem Archiepiſcopus hoc audiens, etiam Ducem Auſtriae coronauit. Ex horum duorum Regum diſcordia vbique ſurgunt

— diſcidia, committuntur paſſim praelia, et in partibus Almaniae oriuntur pericula infinita.

O quantus ſtrepitus tunc fit quantusque mugitus!
Pars fremit aduerſa, clamant alii vice verſa.
Efficitur multus mox in populoque thumultus.
Hii *Lodeuicum* laudant, alii *Fridericum.*
Et niſi fluxiſſet ibi Moganus, inde fuiſſet
Mox ingens bellum generatum ſiue duellum.

CAPVT XXIX.

Quomodo Rex Iohannes ex inductu Baronum terrae iuſſit Theutonicos multos exire de terra.

1315. Rex *Iohannes* plurimos Theutonicos Comites et alios Nobiles habere conſueuerat, quorum fretus conſilio ſingula ſui Regni negotia diſponebat, quibus viciſſim regalia beneficia et officia conferebat. Videntes autem hoc Regni Boemiae Barones, ſe nonnunquam a regalibus tractatibus ſequeſtrari, lucrumque et pecunias, quas prius tollere conſueuerant, exterae nationis manibus atrectari, graui animo haec ferebant. Vnde praehabito familiari colloquio, regalibus aſpectibus pariter et affatibus ſe praeſentant: Domine Rex! inquiunt, Veſtra naturalis induſtria liquido Regni ſtatum et intelligit hominum conditiones, et hoc plenius exponere noſtra fides, qua vobis adſtringimur, enucleatius nos compellit. Ecce iſti hoſpites, qui in Regno ſunt, auaritiae ſtudent, fiſcum regium euiſcerant, ſolum eos ad hoc cura frequens ſollicitat, vt pecunias per phas nephasque

congregent et vſurpent, ipſas de Regno ve- 1315.
deducentes ; caſtra et beneficia Regni plura
upant, et tamen pacem in ſtratis facere non
iciunt nec laborant. Nobis autem, qui in Re-
nati et vobis famulari ſumus parati, ſi bene-
a Regni committere curaretis, per nos pax fie-
, Rex et Regnum proficeret, et pecunia, quae
ra ducitur, remaneret. Tociens huius impor-
iae petitionis inſtantia repetitur cum adiectio-
ius minarum, quod tandem, quod petitur,
uditur. Dominus itaque *Bertoldus*, Comes de
nberch, *Vlricus* Lancrauius de *Leuthenberch* cum
s pluribus Theutoniae Nobilibus exeunt, et ad
opria redeunt; nec iuſtum fuit nec congruum
ioni, quod ipſi, habentes propria, occuparent
ntra Deum aliena. Huius rei gratia Magnates
emiae de Regis et Regni negotiis ſe intromit-
it. Anno igitur Domini MCCCXV. Menſe A- 1315.
li, *Henrico* de *Lipa* in Boemia, *Iohanni* de *War-
berch* in Morauia, conſentientibus Regni No-
ibus, per Regem ſunt eis omnia negotia rega-
recommiſſa.

Hiis itaque geſtis pax non venit, quae ſpera-
ur, nam expeditio expeditioni, exactio exactio-
cottidie ſuccedit, profectus Regi, vt putaba-
, non ſuccreuit, ſed de vrbura Chutnenſi et
neta, quae tunc ſingulis ſeptimanis D. aut DC.
rcas ſoluebat, ſaepe marcas XVI. Rex ſepti-
natim ſuſcepit pro expenſis; reliqua vero pe-
nia, prout Camerarius diſpoſuit, fuit diſtributa.
creuit idcirco *Henricus* de *Lipa* ſuper omnes,
i erant in Regno. Cum ergo eſſet amicorum
famulorum valida multitudine circumfultus, ita,
od ſe putabat falli aut deici non poſſe, et qui-
m Regni Magnates ſub cuiusdam fidelitatis ve-
nine Regem adeunt, et ei dixerunt: Fraudis

1315. doloſae vobis, Domine Rex, *Henricus* de *Lipa* latentes inſidias mollitur inferre, quibus ſi non maturius occurritur, a vobis ſanitas ac regalis dignitas auferetur. Quibus ſuggeſtionibus Rex et Regina aures credulas praebuit, et vt opportune *Henricus* capiatur, vterque conſenſum apponit. Qui in caſtro Pragenſi coram Rege per *Wilhelmum* de *Waldeck*, dictum *Leporem*, ſtrenuum virum capitur manu armata, et in Thirzow caſtrum mox deducitur, vbi in turri ſub XII. virorum cuſtodia mancipatus vinculis cuſtoditur. Quo facto in cunctis finibus Regni ſurgunt varia diſturbia, vbique videntur ſpolia et incendia.

Interea *Boleslaus* Dux de Hayna, *Elizabeth* Reginae ſororius, venit ad Regem, ipſum verbis conſolatoriis fortius animauit. Verumtamen Rex Reginam ad *Lodeuicum*, qui ſe geſſit pro Rege Romanorum, Reginae auunculum, transmiſit, petens conſilium et auxilium ab ipſo. Interim Rex cum auxilio Venerabilis Patris, Domini *Iohannis* Quarti, Pragenſis Epiſcopi XXVII. tres ciuitates, videlicet Mutam, Policzkam, Iermir, quas *Elizabeth* Regina, dicta de Grecz, nouerca *Elizabeth* Reginae, dotis nomine tenuerat, viriliter expugnauit. Iſta namque duorum Boemiae Regum relicta Dominum *Henricum* de *Lipa* praecipuo fauore gratioſius fuit ſubſecuta, et ideo ſtetit cum parte aduerſa. Et *Iohannes* de *Warthenberch* praecipuus inter aduerſarios fuit, qui, cum munitionem prope Grecz expugnaret, quae Koſtelecz nuncupatur, ibidem in facie tactus iaculo baliſtae ſubito eſt extinctus. Et Dominus *Petrus* de *Roſenberch* haec conſiderans, filiam *Henrici* de *Lipa*, quae ſibi deſponſata fuerat, repudiauit, et Dominam *Fiolam*, *Wencezslai* Regis iuuenis relictam, annuente Rege *Iohanne*, matrimoniali foedere ſibi copulauit. Tandem licet Rex in locis cam-

campestribus ante castrum Budynam esset cum va- 1315.
lido exercitu, tamen occulte molimina traditionis sibi metuit inferenda; vnde missis nunciis ad Treverensem Archiepiscopum, suum Patruum, vt in Boemiam veniat, magnis precibus inuitauit, qui patris more amantis succurrere desiderans filio angustiato, vna cum dicto *Petro* Maguntino Archiepiscopo venit in Boemiam cum DC. magnis dextrariis et exercitu glorioso, et coram ipsis tractatu praehabito, obligatis IX. castris, et sex Nobilibus terrae, sic Regi obsidibus assignatis *Henricus* de *Lipa* a vinculis liberatur.

Et anno Domini MCCCXVI. pridie Idus Maii 1316.
in ciuitate Pragensi natus est Regi et Reginae primogenitus filius, nomine *Wenceszlaus*. Hic puer in die Spiritus Sancti in Ecclesia Pragensi in praesentia Domini *Baluini* Treuerensis Archiepiscopi, et Domini *Iobannis* Pragensis Episcopi, per Dominum *Petrum* Archiepiscopum Maguntinum sacri fontis baptismate solempniter est renatus.

CAPVT XXX.

Quomodo Rex Iohannes cum suo Patruo Archiepiscopo Treuerensi aduersus Fridericum Ducem Austriae pugnaverunt.

Anno Domini MCCCXVI. Dominus *Lodeuicus*, 1316.
qui se gerit pro Rege Romanorum, audiens, quod *Fridericus* Dux Austriae, suus aduersarius, per Sueuiam in Reno cum magna multitudine militum et pugnatorum descenderet, Domino *Iohanni* Regi Boemiae, et Domino Maguntino et Tre-

1316. verenſi, dirigit in Boemiam ſuos Legatos, et eorum ſibi petit fieri auxilium, et mox, quod petitur, accipitur, et quod quaeritur, inuenitur. Vnde Rex Dominum *Petrum* Archiepiſcopum Maguntinum pro ſe conſtituit Capitaneum Regni. Ipſe vero cum patruo ſuo exiens, proficiſcitur ad Regem praedictum, et ſimul congrediuntur, et ipſos et Ducem Auſtriae fluuius, qui dicitur Netkarus, diuidebat. Porro cum Principes hii V. diebus contra ſe hoſtiliter iacuiſſent, et hinc inde paſſim plurima dampna percepiſſent, et ecce ſubito XIII. Kalend. Octob. clamor extollitur, milites armantur, omnia ad bellum aptantur, vexilla eriguntur. Et qui ex parte Domini *Lodeuici* fuerunt, bellum inceperunt, totumque pondus praelii in medio flumine vertebatur, et quosdam aqua abſorbuit, et quosdam gladius occidit, et quosdam detinuit inimicus. Durat hoc bellum vſque ad ſolis occaſum, et Domini *Lodeuici* exercitus praeualuit Deo opitulante. Et Dux Auſtriae cum fratre ſunt detenti, et Ducem Auſtriae *Fridericum* tenuit Dominus *Lodeuicus*, fratrem vero *Henricum* Rex Boemiae. Et hiis quoque, qui cum eo fuerant XII. Comites, cum aliis C. et XL. Militibus et viris militaribus ſunt captiuati. M. vero et D. dextrarii in eodem praelio ſunt occiſi. In congreſſione huius certaminis Rex Boemiae fuit cinctus baltheo militari, et alii cum eo plures. Et in breui Dominus *Petrus* Maguntinus ad Regem *Lodeuicum* per literas et nuncios fuit vocatus.

Et Anno Domini MCCCXVI. cometa in parte aquilonari apparuit, et plurima pericula nunciavit: Aeſtatis namque tempore contra naturam temporalem facta eſt ex continuatis ymbribus tam copioſa habundantia aquarum, et more diluuii in locis pluribus ſubuertit aedificia, muros et caſtra. In partibus Saxoniae in tantum fluuius Albea excreuit,

creuit, quod CD. et L. villas aquae vicinas cum hominibus et pecoribus pariter deleuit, et in aliis terris multa pericula ſunt facta per diluuium aquarum, foenum et ſemina deſtruendo, et quae rapuit, ſecum violenter deduxit. Et ſecuta eſt mors hominum lacrimoſa, et factae ſunt in ciuitatibus et villis foueae profundae, quae mortuorum plurima corpora velut morticinia vel cadauera operirent. Et retulit Dominus *Petrus* Maguntinus Archiepiſcopus, quod in ciuitate Netenſi infra vnum annum quinquies C. millia hominum mortua ſunt, et diuerſa animalia et pecora campi intereunt huius anni peſtilentia. Et hiemps duriſſima et acerrima fuit ſubſecuta, quae durauit vſque V. Kalend. Aprilis. 1316.

Eodem anno Dominus *Petrus* Olomuczenſis Epiſcopus VII. Idus Iulii moritur, et in Eccleſia Pragenſi ſepelitur, et licet valde diuitiis habundaſſet, in morte vix tantum manſit ſibi, quod poterat ſepeliri. Vnde quidam hoc videns, ſcripſit hos verſus:

Se facit hic ſtultum, qui theſaurum ſibi multum
Congregat, et neſcit, quis eo moriente capeſcit
Diuitias iſtas, tibi conſulo, deſine ciſtas
Nummis implere, ſed tu nitaris habere
Gemmas virtutis, ex hiis quia porta ſalutis
Laete pandetur, cum ſpiritus egredietur.

Eodem anno circa feſtum beati Iacobi, poſtquam per mortem Domini *Clementis* Papae V. vſque ad tertium annum vacauerat Sedes Romana, Dominus *Iohannes* XXII. qui prius *Iacobus* dictus, Auionenſis fuerat Epiſcopus in partibus Franciae, a Cardinalibus eſt creatus anno Domini MCCCXVI.

Notabile.

Dominus *Henricus*, filius Domini *Bulkonis* Ducis Sleziae de Swidnicz, duxit legitime ſub matrimoniali foedere *Agnetem* virginem, Domini *Wenceszlai* Regis, fundatoris Aulae Regiae, filiam, quam ex Domina *Elizabeth* Regina, ſua ſecunda Coniuge generauit. Hanc puellam tenerae aetatis ſuae anno XII. abſque conſenſu et conſilio ſororis ſuae, videlicet *Elizabeth* Boemiae et Poloniae Reginae, Mater ſua praedicto Principi deſponſauit, ſibique cum filia ciuitatem Grecz, quam tunc habuit, pariter reſignauit. Praedictum autem matrimonium per *Henricum* de *Lipa* et per alios terrae Nobiles, vt dicitur, eſt contractum, et de hoc fides accipitur, quia tunc de Grecz Regnum Boemiae ſpoliatur.

Iſti fuerunt Papae ab Anno Domini MCCXCIIII.

Primus *Coeleſtinus*. II. *Bonifacius*. III. *Benedictus*. IIII. *Clemens* V. *Iohannes*.

Iſti fuerunt Reges Romanorum ab Anno Domini MCCXCIIII.

Primus *Adolphus* de *Naſſau*. Secundus *Albertus* de *Auſtria*. Tertius *Henricus* Imperator. Quartus *Lodeuicus* et *Fridericus* ſimul.

CAPVT

CAPVT XXXI.

De vocatione ad Curiam Romanam Venerabilis in Christo Patris et Domini, Domini Iohannis IIII. Pragensis Episcopi XXVII. et de eius actibus glorioſis.

Alienae felicitatis dolor eſt inuidia, et ſicut karitas virtutum eſt excellentiſſima, ſic inuidia eſt vitiorum peſſima. Licet per omne vitium virus antiqui hoſtis humano cordi infundatur, in zelo inuidiae omnia interiora concutiuntur, et virtutes eiciuntur. Et eſt ſicut graecus ignis aquis non valens extingui. Hoc vitio accenſus nullum ſcelus perhorreſcit, non parcens innocenti, neque nocenti. Hoc denique vitio refertus malitiae author, fraudis inuentor, peſſimus Duringus, *Henricus* ſpurius de *Sonburch*, qui ſe gerebat pro Praepoſito Lithomericenſi, procurauit, quod Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes* Quartus, Pragenſis Epiſcopus XXVII. ad curiam fuit vocatus Romanam, tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris et Domini, Domini *Iohannis* Papae XXII. qui tunc in Auinione ciuitate Imperii reſidebat. In qua curia praefatus Dominus Epiſcopus Reuerendus multas ſuſtinuit aduerſitates, quae quidem velut ignis aurum, lima ferrum, tribula frumentum ipſum purgauerunt, et in omnibus virtutibus corroboraverunt. De quibus eum Deus glorioſus eripuit potenter, et a malis protexit vniuerſis. Verumtamen cum praedicto ſpurio *Henrico* de *Sonburch* per XI. annos exſtitit in actione. Qui quidem Dominus Epiſcopus exiſtens innocens et iuſtus, praedicto

dicto ſpurio aduerſario ſuo deuicto cum aemulis ſuis vniuerſis et inimicis. Vnde Cardinales quam plures, Archiepiſcopi, Epiſcopi et Praelati, zelatores et amatores fidei, ei congratulabantur. Sicque victoria obtenta, et a Summo Pontifice licentia et benedictione cum multis gratiis recepta, ad ſuam Pragenſem Dioceſim in Anno Domini MCCCXXIX. anno vero ordinationis ſuae XXVIII. procul omni impedimento eſt profectus, Eccleſiamque ſuam et ciuitatem Pragenſem in die beatorum Proceſſi et Martiniani Martyrum cum maximo honore intrauit, cum ingenti quoque exultatione occurrentibus Praelatis vniuerſis exemptis et non exemptis, Baronibus, Nobilibus, Ciuibus et alia Cleri et populi multitudine copioſa. Et ſpecialiter Praelati et Canonici cum ſuo Clero et reliquiis Sanctorum et vexillis de Eccleſia ſua Pragenſi ſibi proceſſionaliter obuiam euntes, occurrerunt. Demum cum ipſo in praefata Eccleſia exiſtentes omnes Te Deum laudamus cantauerunt cum concentu organorum. Inſuper populi omnes Eccleſiarum, vniverſique Religioſi de ciuitate Pragenſi ſimiliter cum reliquiis Sanctorum laudantes Deum ei obuiam proceſſerunt. Et quia bona Epiſcopatus in abſentia diuturna Domini Epiſcopi Reuerendi fuerunt diſtracta, et per Nobiles Regni occupata, cum magnis impenſis et laboribus eadem recuperauit, munitiones muniuit, et multa commoda et aedificia in variis locis inſtaurauit. Et non ſolum cultum diuinum amplificauit, ſanctis doctrinis et conſtitutionibus erudiendo, verum etiam in ſuo Epiſcopatu et in aliis locis ſuae Dioceſis Eccleſias multas conſtruxit, ipſas deuotius Deo, et ſuis Sanctis, vbi prius non erant, cum ſolempnitate magna dedicauit. Et non ſolum villas et oppida pro augmento bonorum Eccleſiae, verum etiam caſtra valida et famoſa laudabiliter comparauit, videlicet:

Hier-

Hierſenſtein et Montem Epiſcopalem, quod prius Gyerſperch vocabatur, cum omnibus poſſeſſionibus ac circumſtantiis vniuerſis.

Caeterum aduertens Venerabilis Pater et Dominus, Dominus *Iohannes* Pragenſis Epiſcopus, quod opera bona hominem glorificant miniſtrando materiam aeternae coronae, et hominem adinſtar veſtimenti decorando, et ipſum in perpetuum non deſerendo, adauxit igitur operibus ſalubribus opera ſalutifera; nam in quarto anno reuerſionis ſuae de curia Romana, et anno Domini MCCCXXXII. anno vero ordinationis ſuae XXXI. feria tertia in feſto Penthecoſtes conuocatis ad ſe in Rudnycz Venerabili fratre ſuo, fratre *Przibislao*, Sadoronenſi Epiſcopo, et honorabilibus ac religioſis viris Brewnouienſi, et de Porta Apoſtolorum Abbatibus, et aliis Praelatis, Nobilibus Regni et ciuibus quam pluribus, ipſo die Monaſterium, ſiue Eccleſiam collegiatam ibidem in Rudnicz ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et beatae Virginis Mariae cum magna ſolempnitate fundauit, et deinde conſtruxit lapidibus quadris et dolatis muros in altum erigendo, et teſtudine ſolida et decora ipſos continuando. Feneſtras quoque miris et artificioſis caelaturis celte ſculptis, vitris pulcherrimis decorauit. Et ibidem conſtituit Praepoſitum, et alios Dominos et Fratres Canonicos regulares Ordinis ſancti Auguſtini. Quibus et praefato Monaſterio ſuae fundationis in praeſentia praedictorum Praelatorum et Dominorum, ac alia Cleri et populi multitudine copioſa, Dominus Epiſcopus contulit et donauit bona ſua patrimonialia, et alia perſonaliter empta et acquiſita intuitu perſonae, vt in priuilegiis dicti Monaſterii continetur. Ipſumque decorauit ymaginibus lapideis excellenter artificialiter ſculptis, auro et argento decoratis, ac

colo-

coloribus precioſis et picturis variis ac delicatis multipliciter diſtinctis. Et extrinſecus circa feneſtras iuſſit ſculpi in lapide clipeos proprios, et Eccleſiae Pragenſis, auro claro ſuperductos. Et praetaxatae Eccleſiae ſuae et Dominis ibidem donauit libros varios, calices et ornatus diuerſos et precioſos, et omnia neceſſaria eis lautiſſime miniſtrando.

Memoratus quoque Dominus *Iohannes* Reuerendus Pragenſis Epiſcopus conſiderans, quia per miſericordiam ſpecialiter Deo complaceret, et beati miſericordes, et ipſa obſtat et reſiſtit peccato, a ſeruitute dyabolica liberando, et aeternae gloriae coniugendo. Vnde ipſe videns multa in Albea flumine pericula et hominibus et maxime pauperibus euenire dampna et incommoda, miſericordia motus ibidem in Rudnitz pontem fieri diſpoſuit vltra flumen. Et quia Magiſtros ad tale opus peritos in Regno Boemiae, nec in vicinis Prouinciis potuit reperire, vnde miſit ad curiam Romanam pro Magiſtro *Guilhelmo*, optime in huiusmodi arte perito. Cum quo Dominus Epiſcopus, cum adhuc ibidem ſtetiſſet, de hac materia fuerat locutus, cui promiſit ad Regnum Boemiae ad ſuam inſtantiam ſe transferre. Vnde viſis nunciis et literis Domini Epiſcopi, aſſumptis tribus ſociis, mox ſine omni dilatione ad ipſum eſt profectus. Et anno Domini MCCCXXXIII. anno vero Ordinationis eiusdem Domini Epiſcopi XXXII. in feſto ſancti Bartholomaei Apoſtoli, cum reliquiis Sanctorum et magna deuotione ac ſolempnitate in medio fluminis Albeae pro fundamento aptatos et magnos lapides poſuerunt. Praefatus quoque Magiſter cum ſuis complicibus duos pilares pontis et vnam teſtudinem perfecerunt. Et anno ſequenti vna cum ſuis copioſe a Domino

Epi-

Episcopo remuneratus et honoratus ad propriam patriam est reuersus. Dominus vero Episcopus per alios artifices gentis nostrae, qui ab illis advenis complete fuerant informati, de lapidibus solidis et dolatis ipsum pontem cum maximis sumptibus et expensis excellenter et laudabiliter compleuit.

Et anno Domini MCCCXL. anno vero Ordinationis suae XXXIX. vocatis praefatis viris religiosis ac honorabilibus viris et Dominis Pragensi, Curimensi, Gradicensi, Bechinense, nec non suo thesaurario Horssouiensi Archidiaconis, ac pluribus Nobilibus Regni, in die Assumptionis beatae Mariae Virginis gloriosae Ecclesiam suae fundationis in Rudnicz in honore Sanctissimae Trinitatis, et in honore beatissimae Virginis Mariae propria in persona dedicauit, et de cunctis partibus Regni multitudo maxima venit populorum ad hanc solempnem dedicationem, in qua magnos sumptus fecit et expensas. Ad hoc ipsum mouit amor diuinus, et Reginae Coelorum.

Et eodem anno Venerabilis Dominus Episcopus continens virtutem constantiae et perseuerantiae, quae inter caeteras virtutes sola meretur coronari, et in ipsa constat tota salus animarum, et omne bonum opus per ipsam consummatur. Huius rei gratia tres praebendas Canonicorum in Ecclesia sua Pragensi ad gloriam et honorem Sanctae Trinitatis, et trium sanctorum Patronorum solempniter creauit et deuote, large quoque et habundanter prouidit, quod alii Canonici in cottidianis distributionibus, et alii ministri Ecclesiae nullum penitus detrimentum perceperunt, in quibus impendit M. et D. marcas argenti, annexis pluribus sumptibus largissimisque expensis, de bonis sui Episcopa-

copatus nihil in hoc facto impendit. Primam vero praebendam contulit Domino *Paulo* de *Cladna*, fratri domini Cancellarii ſui; ſecundam Domino *Buskoni* de *Braſskow* ſuo Vicario; tertiam vero Theſaurario ſuo, Domino *Sdeslao*, Archidiacono Horſſouienſi.

Et quia ſalus noſtra conſiſtit in adimpletione decalogi ſiue Dei decem mandatorum: Si quis autem ex hiis prima duo adimplet, omnia alia adimpleuit, quia in hiis duobus pendet lex et prophetae. Reuerendus quoque Dominus Epiſcopus dilectionem Dei habuit, et hoc in aedificatione Clauſtri, et multarum aliarum Eccleſiarum oſtendit, et in aliis pluribus ſanctis operibus, quia probatio dilectionis eſt exhibitio operis. Dilectionem etiam proximi veraciter habuit, clare patet, quia videns multos pauperes in Rudnicz fame deficere, et in plateis perire, hoſpitale ſolempne circa ſuum nouum pontem propter eos aedificavit, et laudabiliter ac ſufficienter dotauit et locupletauit. Nam villam Wetlam cum omnibus ſuis circumſtantiis a quinque fratribus *Potonis* emit pro DCC. marcis et vltra, qui quidem fratres multa mala et incommoda ratione vicinitatis hominibus fecerant in ſuo Epiſcopatu. Regimen autem hoſpitalis commiſit Praepoſito ſuorum regularium Canonicorum. Ad haec autem omnia et ſingula facienda induxit eum ſua magna bonitas, quae quidem paucis terminis neſcit contineri, quia bonum eſt diffiſiuum et communicatiuum ſui ipſius, ſicut Deus eſt optimus, et ideo liberaliſſimus, quem Dominus *Iohannes* Quartus, Reuerendus Pragenſis Epiſcopus XXVII. in ſua liberalitate eſt laudabiliter immitatus et largitate.

Lilia candoris pupulant, riuique decoris
Erumpunt valde, cuncta gens tu modo plaude
Praesuli praeclaro *Iohanni* florido, caro.
Cum sis ornata, grandi titulo venerata,
Praeclara cunctisque Boemia fabrica pontis,
Cuius structura sistit semper valitura,
Ob quam Australis plaga, pariter Borealis
Fert se ruralem, quia nescivit dare talem.
Praesul in exemplum voti sancti modo templum
Fecit, sic diae cupiens placere Mariae,
Atque suo Nato, petat vt sua vita beato
Claudatur vita per virtutes redimita.
Istis alludit hospitale quoque prodit,
Te fore praeclarum, cum sit miseris bene carum,
A te constructum, vt per Dominum benedictum,
Amen finem comitatur.

Inci-

Incipit ſecundus Liber ſecundae partis Cronicae Pragenſis, ſcriptus ad Venerabilem Patrem Dominum Iohannem IIII. Pragenſem Epiſcopum XXVII.

Incipiunt Capitula praedictae ſecundae partis

De ſtatu Regni Boemiae, et de reditu Regis. I.
Qualiter Dominus *Petrus* de *Roſenberch* cum quibusdam Baronibus ſe a Rege auerterunt II.
De concordia inter Regem et Barones, et de fame magna III.
Quod Karulus Rex Vngariae duxit Beatricem Boemiae Regis ſororem IIII.
De curia ſiue foreſta Regis, et de impugnatione Pragenſis ciuitatis V.
De congreſſu duorum Regum Romanorum VI.
De receſſu Regis Boemiae, et de eius praeliis VII.
De proceſſu et euentu Regis Boemiae VIII.
Quomodo Virgo Maria, Regis Boemiae germana, eſt Regina Franciae facta, et de matrimonio filiarum Regis VIIII.
De bello duorum Regum Romanorum, et de victoria Regis Boemorum X.
De liberatione Ducis Auſtriae, et de exilio Reginae Boemiae XI.
De proceſſu Domini Papae contra *Lodeuicum* Regem XII.

De

De obſidione Metenſis ciuitatis per Regem Boemiae XIII.
De aduentu Regis et Reginae in Boemiam XIIII.
De decima regali, et de incurſu populi paganorum XV.
De proceſſu Regis Boemiae et de Rege *Lodeuico* XVI.
De *Lodeuico* Bauaro, et de Papa ſcíſmatico XVII.
De victoria Regis Boemiae contra Paganos XVIII.
De nouitatibus morum, quae tempore Regis *Iohannis* ortum habuerunt XVIIII.
De fundatione Dominae Reginae *Elizabeth* et de ipſius deceſſu XX.
Quomodo Rex filio ſuo ſecundo genito *Henrici* Ducis Karinthiae filiam procurauit matrimonialiter copulari XXI.
De hiis, quae egit Rex *Iohannes* in partibus Lombardiae XXII.
De bellis inter Boemos et Auſtrales XXIII.
De bellis, quae Rex cum ſuo primogenito filio habuit contra inimicos XXIIII.

CAPVT I.

Incipit primum Capitulum ſecundi libri ſecundae partis Cronicae Pragenſis, et primo de ſtatu Regni Boemiae, et de reditu Regis.

Tempore, quo diſertus et expertus Venerabilis Pater, Dominus *Petrus*, ſanctae Maguntinenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, in regno Boemiae 1317.

1317. manebat, et *Iohannem* Regem Reginamque *Elizabeth* regebat, florebat pax in Boemia, iuſtitiaque vigebat. Tractabat enim ſolerter cum quibusdam de Reno Illuſtribus, et cum Nobilibus et Baronibus terrae negotia Regni et Regis, non tantum armis, ſed animis, conſilio ſapienti innixus. Plures autem Nobiles de Boemia ipſum Archiepiſcopum oderunt praetendentes, quod de Regno magnum theſaurum reportaret. Igitur reuertitur ad ſuum Archiepiſcopatum. Vnde Regi et Reginae gubernatio Regni incumbebat. Sed Rex nondum reuerſus fuerat, ſed in Lucenburch ſua comitia manebat. Quidam vero, qui tunc erant Reginae Conſiliarii, de receſſu Domini Maguntini gaudebant putantes, quod ex illius abſentia ſtatus Regni deberet in melius mutari; ſed res venit in contrarium. Incepit namque in Regno vbique ſuccreſcere maius malum praeuio conſilio non ſano. Stipendiarii de vicinis terris vocantur, qui tunc Nobilibus Reginae obſequentibus ſociati, igne et gladio perturbant terminos, quos Reginae inimici poſſidebant. Hii vero in conſilio Reginae principales fuere: Dominus *Conradus* Olomucenſis Epiſcopus, *Henricus* Cancellarius, *Wilhelmus* de *Waldek* dictus *Lepus*, Regni Boemiae Subcamerarius; et quidam de partibus Reni de *Bucbes*. Aduerſarii vero Reginae hii ſunt: *Henricus* de *Lipa* cum filiis ſuis, *Beneſius* de *Wartemberch*, *Beneſius* de *Michelsberch*, *Albertus* de *Zyebercb*, *Wilbelmus* de *Landenſtayn*, *Berka* de *Duba*, cum fratre *Henrico* de *Luchtenburch*, *Sdeslaus* de *Sternberch* cum aliis multis. Verumtamen *Petrus* de *Roſenberch*, *Bauarus* de *Strakonycz*, et filii *Thobiae* magni, *Marquardus* et *Hermannus* de *Gablona*, *Iohannes* de *Dobruſca* cum quibusdam Nobilibus de Morauia permanent cum Regina. Eſt autem parti vni altera pars adverſa, ex quo ſpolia inceſſanter ſurgunt et bella.

Cum

Cum vero diſcordia tam hoſtiliter inchoata magis 1317.
ac magis cottidie ſuccreſceret, et pars vtraque
ad bellandum acrius ſe diſponeret, Regina, ne
tanta mala oculatim cerneret, aſſumptis ſibi tri-
bus pueris ſuis, *Margaretha*, *Guta*, et *Wenceslao*
ſuo primogenito filio, conducente eam *Wilhelmo*
Lepore, XII. Kalend. Iulii ad caſtrum Cubitum
perrexit, ibique tribus menſibus permanſit.

Interea Anno Domini MCCCXVII. in feſto 1317.
beati Iohannis Baptiſtae congregantur Nobiles ex
vtraque parte in ciuitate Pragenſi, et in hoc con-
cilio duo eliguntur arbitri, et duo ſuperarbitri,
vt diſſenſionis cauſa diſcrete diſcutiatur, et pro-
nunciata a partibus inuiolabiliter debeant obſeruari,
et de hoc expediuntur nuncii ad Regem et Re-
ginam. Interim *Henricus* de *Lipa* verbis humili-
bus gratiam quaerit Reginae, et de ſuis exceſſibus
emendam promittit condignam, ſed non inuenit,
quod quaerit. Ipſe namque virginem *Agnetem*,
Reginae ſororem, non conſentiente Regina *Hen-
rico* Duci Poloniae matrimonialiter tradidit in fa-
vorem Dominae *Elizabeth*, quae vocatur Regina
de Grecz, et ei in praeiudicium Regis et Reginae
plus, quam decuit, adhaeſit, atque *Iohannem* Re-
gem, cum ipſum regeret, non legaliter educauit,
et plus propria, quam regalia negotia procurauit,
ſic et ſibi et ſuis munitiones, quae ad Regem per-
tinent, vſurpauit. Ex hiis et ſimilibus animus
Reginae ita prouocatur, quod ad faciendam vin-
dictam potius, quam ad dandam gratiam inclina-
tur. Haec itaque iuſta duritia, aut verius dura
iuſtitia in mente foeminea taliter indurata effecit
in Boemia multa mala. Generoſae enim huius Re-
ginae nobilis animus, quae et qualis ſit, quae pa-
titur, et a quo et a quali iniuriam patiatur, ad-
vertit. Vt puta Regina a vaſallo, Domina a fa-

1317. mulo, Princeps a Milite immerito ſe iudicat talia ſuſtinere. Vindictam condignam expoſtulat, malens pro tempore quaſſari Regnum, quam indebite contempni ſe, et regium ſtatum. Videns itaque Regina, quod aduerſariorum contemptus contumaciter creſceret, et quod ipſis ſine virili conſortio reſiſtere non valeret, Regem in Boemiam poſtulat et inuitat. Veniente itaque Rege, Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Pragenſis Epiſcopus, cum pluribus Baronibus ipſi ad Cubitum vſque occurrerunt, et de regalibus negotiis diuerſa ibi conſilia pertulerunt, et XIIII. Kalend. Decemb. Pragam venit, vbi quidam fideles Barones cum decenti familia ſe exhibent ad ſeruitia Regi facienda. Die quoque ſexto poſt Regis aduentum ipſe cum Venerabili Patre, Domino *Iohanne* Pragenſi Epiſcopo, et cum pluribus aliis Baronibus, licet hyemps eſſet, munitiones plures inimicorum expugnauit, et cum contra *Sdeskaum* de *Sterembercb* Rex mouiſſet exercitum, ipſe occurrens gratiam Regis inuenit, et fidem et ſeruitium promittit.

Eodem anno Dominus *Aegidius*, natione Romanus, Magiſter Theologiae maximus, per Papam *Bonifacium* Biturienſis Archiepiſcopus factus, qui in ſacra Theologia et Philoſophia plurima volumina conſcripſit, tranſiit ex hac vita.

CAPVT II.

Qualiter Dominus Petrus de Roſenberch cum quibusdam Baronibus ſe a Rege auerterunt.

1318. Anno Domini MCCCXVIII. Statim in eiusdem anni principio contra *Wilhelmum* de *Landenſtain*,

ſtain, qui regalia bona occupans Regem ſpreuit, 1318.
acies regalis procedit, ſuper quem Rex audacter irruit, ipſius prouinciam tranſiens exterminat et ignibus deuaſtat. Porro *Petrus* de *Roſenberch*, eiusdem *Wilhelmi* Patruus, pro ipſo ad Regem intercedit. Rex vero cum ſua regalia expeteret, *Petrus* a Rege auertitur, et *Wilhelmo* adhaeret. Cumque aduerſariorum ſuorum duabus ebdomadis Rex grauiter poſſeſſiones laeſiſſet, Rex in Moraviam tranſit, ibique quorundam rebellium obtinuit munitiones. Deinde bella augmentantur, et multi pauperes et inopes efficiuntur: alii denudantur, alii captiuantur, et diuerſorum tormentorum generibus amici pariter et inimici miſerabiliter cruciantur. Sterilitas grauiſſima ex parte vna populum cruciat, ex parte altera diſcordia, vitae humanae nouerca, homines laedit acrius et tormentat.

Porro Rege exiſtente in Morauia, fama fallax volare incipit, quod omnes Boemos intendat Rex excludere de terra. Huiuscemodi ſermonem quidam nugigeruli finxerunt, volentes Regem vniuerſitati reddere exoſum. Hinc inter Barones fit conſpiratio, et ab vniuerſo populo adverſus Regem fit maledictio, et Regi Barones omnes contradicunt et aiunt: Melius eſt, quod occidamur, quam a natiuitatis ſolo viliter expellamur. Vnde inimicitiae, quas inter ſe quidam Nobiles habuere, ſedantur, vt conglobati fortius Regi aduerſentur. *Henricus* quoque de *Lipa*, *Petrus* de *Roſenberch*, et alii plures Nobiles, acceptis treugis ſub praetextu concordiae, valida manu intrant Brunnam dicentes, ſe non aliud quaerere, niſi gratiam et pacem. Porro Rex, quia Regni commodum deſiderat et pacem, iniurias illatas ſibi relaxat, omnibus, qui crimine obnoxii fuerunt

1318. laesae Maiestatis, dat et offert regium fauorem. Sed statim dolus fit publicus, qui fuerat occultatus, qui enim pacem postulant, pacem recusant. Domine, inquiunt, Rex, scire vos cupimus, quod nullam vobiscum concordiam volumus inire, nec valemus, nisi pari modo *Fridericum* Ducem Austriae, quem legitimum asserimus Regem Romanorum, huic concordiae inseramus; taliter cum ipso constringimur, quod ipsum non deserimus. Hiis auditis Rex grauiter prouocatur, et tractatus, qui pacem praetenderat, ad acriorem saeuitiam commutatur. Primitus namque *Iohannes* Rex cum *Lodeuico*, qui se gerebat pro Rege Romanorum, aduersus *Fridericum* de Austria adeo compromiserat, quod illo incluso cum suis Baronibus concordiam facere non valebat. Videns itaque Rex, quod *Henricus* de *Lipa* cum suis non ageret secum sincere, et quod exercitum haberet fortiorem, cupiens periculum euitare, Pragam cum Regina III. Kalend. Martii est reuersus. Interea Rex per dictum Regem *Lodeuicum* in Egram vocatur, et ad concilium inuitatur. Cumque circa ciuitatem Sacz homines Regis peruenissent pro pabulo equorum, *Wilhelmus Lepus* super eos irruit, et multos vulnerauit, et CXLIIII. captiuauit, inter quos fuit Marschalcus Regis, et alii Milites plures. Porro Rex abinde recedit turbatus, et sub magno disturbio regnum post se dereliquit, et tunc ita malus status fuit in regno, sicut vnquam fuit a sua primaria plantatione. Rex vero *Iohannes* cum Domina *Elizabeth* Regina ad Regem *Lodeuicum* X. Kalend. Aprilis in Egram peruenit, et ibidem sua negotia pertractauit. Et die VII. cum Rex esset reuersus in ciuitatem Cubitum, illuc *Wilhelmus Lepus* vocatus venit, et pro se et pro suis obtinuit pacis treugas per tres ebdomadas duraturas,

et

et *Petrus* de *Roſenberch* ciuitatem Budways potenter obſedit, ſed hiis auditis ab obſidione recedit. 1318

CAPVT III.

De concordia inter Regem et Barones, et de fame magna.

Dum multa mala in Boemia inualeſcerent crebreſcendo, et iam homines miſeria thabefacti de omni conſolatione deſperarent, quia omnes modi concordiae fuerant refutati, dextera Dei obſtetricante accidit, quod Rex *Ludeuicus* Regem cum Regina, nec non Barones Boemiae, qui fuerant diſcordiae auctores, in Tuſt ciuitatem conuocauit, et in die beati Georgii inter partes contrarias reconcilians concordiam ſub temporis breuis compendio ordinauit, et vniuerſos Barones et Nobiles gratiae regiae reformauit. Vnde ipſi nouo iuramento ad fidem Regi ſeruandam ſe firmiter obligauerunt. Et ibi *Henricum* de *Lipa* ex communi conſilio Nobilium Rex regni fecit Subcamerarium. Et ibi Rex *Iohannes* iurauit et ſtatuit, quod omnes Rynenſes et hoſpites, qui ſibi auxilium in bellis praeſtiterant, a ſe debeat excludere et a regno; nec alicui aduenae beneficia committere, ſed cum Boemorum conſilio vniuerſa velit regni negotia pertractare. Ibi concordia ordinatur, pax proclamatur, populus quaſi de morte reſurgens laetatur; pericrant quippe multa millia hominum propter defectum concordiae. Nam diſcordia durante nimia fames inualuit et miſeria. In omnibus locis magnae foueae fodiebantur, quae mortuorum cadaueribus replebantur. In tantum enim fames inualuerat, quod quidam ruſtici cum

1318. vxoribus eorum propria domicilia deſerentes, petunt ſiluas, homines, quos reperiunt, occidunt, et eos comedunt, et ſic ſe miſere paſcunt.

Et Anno Domini MCCCXVIII. Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes* IIII. Pragenſis Epiſcopus XXVII. ad curiam romanam fuit vocatus, et quomodo ibi magnifice et honeſte ſteterit et victoriam glorioſe de inimicis ſuis obtinuerit, et cum gloria ingenti reuerſus fuerit, in primo libro huius ſecundae partis eſt ſufficienter pertractatum.

Eodem anno Dominus *Iohannes* Papa deleuit Bekardos, Girouagos et Beginas, quorum ſecta omnes fere ciuitates in magna multitudine repleverat, quos ipſe ſub anathemate reprobat et condempnat.

CAPVT IV.

Quod Karulus Rex Vngariae duxit Beatricem Boemiae Regis ſororem.

Eodem anno *Karulus*, filius *Karuli* Regis Siciliae, factus Rex Vngariae, ſua prima abſque liberis viduatus vxore, miſit Comites Vngariae ad Regem Boemiae petens, quod vnam de ſororibus ſuis velit pro Coniuge ſibi dare. Hac legatione amicabiliter ſuſcepta, miſit in Lucenburch pro ſuis ſororibus, quarum maior *Maria* vocabatur; iunior vero *Beatrix*. Rex igitur petitioni nunciorum Regis Vngariae annuens, liberam optionem eis dedit, vt vnam de ſororibus ſuis eligant. Ipſi vero *Beatricem* iuniorem filiam, ſibi poſtulant aſſignari Dominam Vngariae et Reginam. Vnde mox puella ad manus Comitum praeſentium

Regi

Regi Vngariae, licet abſenti, legitime deſpoſatur, quae ſibi deducta, rite feſtiua ſolempnitas nuptiarum celebratur, et in breui in Reginam Vngariae coronatur. 1318.

Eodem anno Rex Boemiae Ducatum Opauiae contulit *Nicolao*, filio ſenioris Ducis *Nicolai*, qui quidem ſenior Dux *Nicolaus* illegitimus frater extitit Regis *Wenceslai*.

Eodem anno in die beatae Caeciliae virginis, ſecundus filius Regi *Iohanni* naſcitur, et in Eccleſia Pragenſi baptiſatur, et *Praſemysl* nominatur.

Et Anno Domini MCCCXIX. inſurrexerunt quidam homines iniqui, pacis et concordiae adverſarii, filii ſcelerati, qui lingua doloſa et odii ſermonibus inter Regem et Reginam ſunt conati diſcordiam ſeminare, dixerunt enim: Domine Rex, vos ſcitis, quod honor Regis exigit et requirit, vt Rex quilibet regere debeat et non regi. Videmus vero contrarium, quod mulier vos regit, vos circumdedit, vos adeo faſcinauit, quod aliud non facitis, quam quod ipſa dicit. Fallimini in hoc facto, illa malum veſtrum cogitat, et vos ſeparari a Regno ſagaciter laborat. Seniorem, inquiunt, filium veſtrum, *Wenceslaum*, vult tradere quibusdam Baronibus, vt ipſum pro Rege habeant, et vos excludant. Et quamdiu conſiliis vxoris veſtrae adhaeſiſtis, nunquam pacem in Regno habuiſtis. Nunc igitur noſtris conſiliis intendatis, hanc Reginam, Coniugem veſtram, non attendite, ſed iubete, vt opus exerceat muliebre. Vnde adhaereatis nobis, et nos ſtabimus et pugnabimus pro vobis. Haec hii conſuluerunt, qui Reginam odio habuerunt. Credidit igitur Rex eorum verbis, et commiſit totaliter cum iuramento illis. In conſiliis iſtis *Henricus* de *Lipa* fuit principalis. Et idem *Henricus* Dominam *Elizabeth*, 1319.

1319. nouercam noſtrae Reginae, cum ſcandalo multorum valde dilexit, vnde, vt illi amplius placere poſſet, iſtam plus deſpexit. Iſtae enim duae Reginae habebant inter ſe odium ſingulare.

Erat autem tunc Regina cum tribus pueris in caſtro Cubitenſi, quod ſuae tunc fuerat ſubditum poteſtati. Rex itaque iam peruerſus animo exiens de Praga, cum armatis multis ad praedictum caſtrum venit, et ſe velle Reginam viſitare pacifice ſimulauit, et turres caſtri dari petiit, et turrium cuſtodes tanta importunitate perterritos et aliquantulum reluctantes, miſſis iaculis acriter impugnauit. Regina de hoc impetu miratur, et videns Regis veſaniam, ſpiritu turbatur. Et altera die interuenientibus quibusdam tractatibus, caſtrum ad manus Regis totaliter reſignatur. Demum Regina, in caſtro pueris ſuis derelictis, turbata, cum familia pauca recedit, et in Melniko ſe recepit. Et ſtatim poſt Rex quasdam perſonas Reginae familiares, et quae eidem diu ſeruiuerant, grauiſſime fuit perſecutus, et quasdam a ſeruitio eius alienauit. Et ecce, quos Deus coniunxit, conſilium peſſimum diſiunxit. Vnde Rex quaſi iam rupto fraeno rationis, et caſſato vinculo matrimonialis dilectionis, totus efficitur effraenis; vincitur voluptate, regitur peruerſa voluntate, et ſic in ipſo tyrannidis operatio reperitur. In alea talis ludendo iraſcitur, proferens verba inhoneſta; nocturno quandoque tempore cum ſolo famulo diſcurrit per vicos et plateas in Pragenſi ciuitate, et ſemel fuit fere a ſeruis Iudicis interemptus, ſed cognitum per vocem illaeſum dimiſerunt. Et ſi miſſas audiuit, non ex deuotione, ſed ex humanae verecundiae compulſione, non inſtat orationibus, ſed vanis confabulationibus, et non ſolum in verbis, ſed etiam in factis inconſtantiam oſtendit.

Qua-

Qualis adhuc creſcens fuerit poſt haec adoleſcens, 1319.
Nemo poteſt ſcire, ſolet illud ſæpe venire,
Quod puer angelicus, poſt in ſenio fit iniquus.
Hoc eſt deflendum, tali ſit compatiendum.
Quod ſic decreſcit ſua virtus, quando ſeneſcit:
Plus commendatur, qui ſub puero reprobatur,
Et poſt laudatur, cum vir bonus efficiatur.

CAPVT V.

De Curia ſiue foreſta Regis, et de impugnatione Pragenſis ciuitatis.

Acceſſerunt ad Regem eodem anno quidam Iuvenes, filii Baronum, plus moti fatuitate, quam ſtrenuitate; et aiunt: Domine Rex, per torneamenta et haſtiludia, nec non per alia exercitia militaria veſtra diffundetur gloria, et admirabile erit nomen veſtrum in vniuerſa terra. Edicite itaque tabulam rotundam, Arthuſii ſcilicet curiam, et ex hoc reportabitis gloriam perpetuis temporibus memorandam. Igitur Rex iuuenilibus rectus conſiliis, Principibus, Comitibus, Nobilibus ſcribit per Almaniam vniuerſis, multa ſpondens in literis et publicis inſtrumentis. Accipit itaque Rex a Ciuibus et Clauſtralibus magnam pecuniam propter huiusmodi fatuitatem celebrandam. Fit itaque in orto ferarum iuxta Pragam quaedam ſtructura lignea, quae pro ſpectaculo publico foret apta. Siccine feſtum beati Iohannis Baptiſtae, quod pro termino illius feſtiuitatis aſſignatum fuerat, appropinquat? Sed de aliis terris Nobiles non venerunt. Vnde

Edi-

1319. Edictum festum finem non sumit honestum.
Non incepisse melius fuit et tacuisse,
Quam sic confundi, sine re per climata mundi.

Eodem tempore diuersis Monasteriis magnam violentiam Rex iste fecit, et suam tyrannidem exercendo multis indebite et iniuste abstulit possessiones, illasque inter suos satellites diuisit. Et sic de salute animae suae non curauit. Factum est quoque illo tempore, cum ciues Pragenses et Seniores populi conspicerent, quod per Regem, iniquis suggerentibus consiliariis, pene omnibus regni incolis violentiae et grauamina fierent, convenerunt vnanimiter et dixerunt: Videmus et experimento didicimus, quod Rex noster regitur consilio pernitioso, regitur et seducitur, regnum destruitur, omnibus violentia infertur. Quid igitur faciemus, quamdiu talia sustinere debemus? Igitur cognationes singulae, quae Pragae alicuius dissensionis materiam inter se habuerunt, amicabiliter ratis compromissionibus concordauerunt, et sic pariter confoederati ad promouendam rem publicam et bonum Boemicae gentis, qui fortiores animis et armis esse possent, elegerunt. Non erat intentio eorum, quod Regi vellent rebellare, sed eum de communi statu regni fideliter informare. Venerunt itaque ad Regem, qui tunc Brunnae erat, viri mendaces, dicentes:

Ciues Pragenses acuunt iam fortiter enses,
Conducunt gentes, contra vos stare volentes.
Iam non tardate, Pragam subito properate.
Et compescatis tales, et eos capiatis.

Hiis verbis Rex statim credidit, et exercitum congregauit. Et VIII. Kalend. Iulii castrum Pragense, ciuitatem inuasurus, cum armatis ascendit. Praecedenti vero die Regina per ciues vocata de

Mel-

Melnyko Pragam venerat, et quia Regem malo 1319.
consilio corruptum timuit, ideo in ciuitate Pragensi maiori cum ciuibus remanebat. *Wilhelmus* quoque *Lepus*, *Petrus* de *Rosenberch*, *Wilhelmus* de *Landenstayn*, hii et plures alii Reginae et ciuibus adhaerebant. Porro Dux *Nicolaus* de Opauia, *Henricus* de *Lipa*, et multi Nobiles regni in castro erant cum Rege, qui omnes consuluerunt, quod Rex deberet se de ciuibus atrociter vindicare, et quidam contra Reginam Regis iram procaciter excitabant. Ciues quoque maioris ciuitatis Pragensis ex vtraque parte occupauerant pontem. Ciuitas vero Minor cum Rege stabat coacta

Ecce nouum bellum surgit rarumque duellum.
Ex vna parte Rex stat, regnareque Marte
Contra Reginam gestit, quaerendo ruinam
Vrbis Pragensis, en saeuit regius ensis.
Vxor contra virum, seruus Dominum, modo mirum
Bellum suscepit, hinc lucrum nemo recepit.
Si caput et reliquum corpus discordat, iniquum.
Estque repleta malis multis discordia talis.

Igitur per Regem, et per eos, qui cum eo erant, dampna cottidie bonis ciuium inferuntur, et hinc inde passim plura praelia particulariter committuntur ex vtraque parte. Plures autem ciues de cognatione *Iacobi* clamdestine Regi adhaeserunt. Tandem in die septem Fratrum Rex cum septem panneriis siue vexillis et CCC. galeis de castro egrediens, ante Maiorem ciuitatem versus clausstrum Sderaz venit, et plura aedificia cremando ciuitatem hostiliter impugnauit, et propter scissma, quod erat inter vulgares, Rex ciuitatem obtinuisset, si *Wilhelmus Lepus* cum suis non resistisset. Venit autem *Petrus* de *Rosenberch* die altera cum CD. pugnatoribus in subsidium ciuitatis. Demum elapsis

1319. elapſis octo diebus, inter Regem et Reginam et ciues concordia eſt facta. Poſt dies vero XIIII. Rex ſex illos, qui Capitanei electi fuerant in ciuitate, a regno excludere volebat, et a reliquis ciuibus coepit pecunias extorquere. Et hoc vſque hodie permodum coactionis et nouae adinuentionis a ciuibus exigitur, et in pluribus populus cruciatur.

CAPVT VI.

De congreſſione duorum Regum Romanorum.

Eodem anno menſe Septembri *Ludwycus* de Bauaria, et *Fridericus* de Auſtria, qui ſe ambo Reges Romanorum aſſerebant, cum copioſis exercitibus contra ſe venerunt, et prope ciuitatem Mulendorf caſtra ſua ſunt metati. Et quia *Ludwycus* copioſiorem turbam pugnantium habuit, voluit ipſum inuadere; ſed fluuius in medio fluens ipſum impediuit. Demum *Ludwicus* traditionem et perfidiam quorundam, quos ſecum habuit, intelligens, ad ſuperiores partes diſpoſuit ſe transferre, et quia *Fridericus* ipſum inſequi non valuit, circa Danubium Bauariam prope Ratisponam grauibus incendiis et ſpoliis conturbauit. Venerant autem tunc de Boemia in auxilium *Ludwico* aliqui Barones cum armatis, inter quos praecipuus erat Dominus *Wilhelmus* dictus *Lepus*, qui vir bellicoſus exſtitit, et ideo factus famoſus. Qui quidem inter familiares contentione exorta thelo vulneratur, et die VIII. moritur, et in Boemia in Monaſterio, quod ſuus auus fundauerat, ſepelitur.

Anno

Anno et menſe praedicto pius et pacificus Princeps, *Wolframus*, Marchio Bramburgenſis, moritur ſine liberis, qui excreuerat in diuitiis et potentia ſuos anteceſſores. Igitur circumſedentes Principes mox inceperunt occupare ciuitates ſibi viciniores. *Iobanni* vero Regi Boemiae Barones et ciues de diſtrictu Budiſinenſi homagium praeſtitere promiſerunt, et ipſe cupiens plura de bonis dicti Marchionatus poſſidere, cum CCC. galeis coepit fines Saxoniae viſitare, oppidum, quod Sumerweld dicitur, tunc obtinuit. Gubny ciuitatem Rex fortiter impugnauit, ſed abinde modicum vtilitatis reportauit. 1319.

Hoc anno obiit *Beatrix*, Regina Vngariae. Hic annus de gratia Dei vberrimus in vino et bladó fuit in pluribus locis. Menſura, quae ſtricho vulgariter dicitur, pro vno groſſo vendebatur.

CAPVT VII.

De receſſu Regis Boemiae, et de eius praeliis.

Anno Domini MCCCXX. in die ſanctorum Innocentum in crepuſculo, ſub ſilentio *Iobannes* Rex Boemiae cum paucis de Praga egrediens, verſus Lucenburch iter arripuit, vbi per vnius anni circulum manens, cum Remenſi ac Leodinenſi Epiſcopis, atque cum aliis Principibus, Comitibus et aliis vicinis praelia multa commiſit. *Henricus* vero de *Lipa*, Capitaneus regni conſtitutus, pacem competenter ordinauit in regno, et humanae naturae neceſſaria in habundantia habentur. Reuixit gens et exultat, quae ante annos tres quaſi mortua prae fame iacebat. 1320.

Eodem

1320. Eodem anno XII. Kalend. Maii Regis Boemiae filius *Przemysl*, secundo genitus moritur, et in Aula Regia sepelitur. Et tunc Nonas Iunii obiit Venerabilis Pater, Dominus *Petrus*, Moguntinus Archiepiscopus, qui fuerat sapientia et scientia praeditus et potentia.

Eodem anno *Loketko*, Dux Sandomeriae, a Sede Apostolica obtinuit coronam regalem Poloniae, et in praeiudicium Regis Boemiae insigniri regio dyademate super regnum Poloniae a Gnesnensi Archiepiscopo in Crakouia se permisit. Incepit statim denarium sancti Petri de vno quoque capite humano Sedi Apostolicae soluere decimaliter, qui longo tempore denegatus fuerat, vt dicitur, de facto, non de iure. Verumtamen, quia Duces Sleziae hunc denarium Apostolico denegant, ipsorum dominia vsque hodie stant sub interdicto.

Surrexit hiis temporibus quidam plebeyus populus de Galliae diuersis partibus congregatus, circiter XL. millia virorum, qui se pastores nominabant, transfretareque mare gestiens, et passagium facere deuota conceptione, tamen erronea intentione proponebat. Qui cum in Auinione ante Domini *Iohannis* Papae palatium veniisset cum turmis suis, et thesauros Ecclesiae pro generali passagio reseruatos cum impetu requisisset, Papa mox huic errori resistens, hunc errabundum exercitum dispergi mandauit, et ipsum sub anathemate reprobauit. Hic populus sic dispergitur, pro quo venerit, ignoratur.

Hoc anno iterum duo exercitus validi duorum Regum Romanorum, videlicet *Ludwici* de Bauaria, et *Friderici* de Austria prope ciuitatem Argentinam in Alsacia conuenerunt, et non conflictum, sed multitudinem pauperum in suo transitu fecerunt.

CAPVT

CAPVT VIII.

De proceſſu et euentu Iohannis Regis Boemiae.

Anno Domini MCCCXXI. Rex Boemiae de Comitia ſua Pragam veniens in octaua Purificationis beatae Virginis, qui elapſis XV. diebus torneamentum, ad quod plures Nobiles vocauit, habuit in foro Pragenſi, in quo de dextrario graviter cecidit, in luto diutius volutatus, equorumque pedibus multum conculcatus, tandem tanquam ſemiuiuus ſcoenolentis armis et veſtibus totaliter deformatus, de multitudine vix fuerat extractus; per hanc ſiniſtram ſortem ſuſcepit Rex in corpore grauem dolorem. 1321.

Eodem anno iterum Rex in vigilia beati Iohannis Baptiſtae ad Comitiam ſuam reuertitur clamdeſtine cum paucis. Interrogatus, quare in regno non remaneret, reſpondit: quod ſolum natalis patriae dulciſſimum ſibi foret.

Hoc anno in die beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum feria VI. eclipſis ſolis exſtitit, quae ab hora prima vſque ad horam tertiam perdurauit. Qua facta ſtatim poſtea omnium in terra naſcentium grana et ſemina, quae antea fuerant bene diſpoſita, ſunt quaſi viſibiliter diminuta; ſubſecuntur magnae inundationes fluminum, quae fecerunt in villis et in campis magnum dampnum. Verumtamen quidam de Boemia fuerant ipſa die Romae, et nullum ſignum eclipſis ſolis viderunt.

Eodem anno in partibus Reni et Galliae omnium leproſorum habitacula igne ſunt concremata, et ipſi pariter ſunt cremati. Inſonuerat namque fama publica, quod ipſi leproſi per Iudaeos

1321. et Saracenos corrupti Chriſtianis darent et occulte miniſtrarent in aquis, puteis et fontibus toxicum et venena, ob hanc cauſam plures putei in partibus gallicanis humo ſunt repleti, vel ſuperius caute cooperti.

Hoc anno generoſa et Deo deuota Domina, quondam Regis *Przſemysl* filia, Abbatiſſa ad ſanctum Georgium in caſtro Pragenſi, dicta *Chunegundis*, moritur, et in ſuo monaſterio, vbi multis annis abbatizauerat vtiliter, ſepelitur.

CAPVT IX.

Quomodo virgo Maria, Regis Boemiae germana, eſt Regina Franciae facta, et de matrimonio filiarum Regis.

1322. Anno Domini MCCCXXII. IIII. Idus Aprilis *Maria*, virgo elegantiſſima, Boemiae Regis germana, de Regno Boemiae, in quo tribus annis cum *Elizabeth* Regina decenter permanſerat, in Lucenburch eſt deducta. Demum in feſto beati Bartholomaei dicta virgo *Karulo* Regi Franciae in coniugio legitime copulatur. Et anno ſequenti in die Sancti Spiritus Pariſius in Reginam Franciae ſolempniter coronatur. Verumtamen Reginae priori, Ducis Burgundiae filiae, per eundem Regem prius repudiatae, Apoſtolicae Sedis conceditur diſpenſatio, vt ipſa nubere valeat alteri viro. Eodem anno Regi Boemiae filius tertius naſcitur ex Regina *Elizabeth*, et in octaua beati Viti baptizatur, et binomus efficitur, quia *Iohannes* et *Henricus* nominatur.

Eodem anno virtuoſa Domina *Margaretha*, *Wenceslai* Sexti Regis Boemiae filia, *Boleslai* Ducis

cis Sleziae de Lignycz vxor legitima, in Grecz 1322.
in puerperio moritur, et in Aula Regia ſepelitur.

Eodem anno menſe Iulio *Iohannes* Rex in regnum de Lucenburch eſt reuerſus ardua negotia tractaturus, et ipſe *Margarethàm*, maiorem filiam ſuam, *Henrico* Duci Bauariae matrimonialiter copulauit. *Gutam* vero filiam ſuam minorem *Friderico* Marchioni Miſnenſi legitime deſponſauit. Regina quoque *Elizàbeth* cum maiori filia ſua in Bauaria longo tempore morabatur, quia Rex bona ad eam ſpectantia pluribus obligationibus inbrigauit. Altera quoque Regina *Elizabeth* de Grecz dicta, multum eſt ante Regis oculos non ſine multorum ſcandalo gratioſa.

Eodem anno XII. Kalend. Auguſti quoddam inopinabile accidit factum, nam honorabilis vir, *Iohannes*, *Wenceszlai* Regis Sexti filius, licet illegitimus, regni Boemiae Cancellarius et Wyſſegradenſis Praepoſitus, a Rege Pragae capitur, et per eum a dignitatibus degradatur, et vt vnam mortem eligat, compellitur et coartatur.; imponitque ei Rex fraudem et dolum, et quod praebuerit ei conſilium iniquum, per quod poſſet Rex et regnum periclitari. Ille verecundia et terrore vehementer concutitur, et quid reſpondere debeat, ignorat. Ipſum Nobiles inſtigant, vt verba Regis fateatur eſſe vera, vt ſic ſaltem mortem euadat. Hiis aſſentit, ſe reum dicit, et gratiam Regis quaerit. Poſt multas contumelias et terrores, quas paſſus eſt a Rege et a ſuis Conſiliariis, cuſtodiae mancipatur, et noctis tempore clamdeſtine fugit, et in Bauariam venit. Rex vero omnes praebendas et dignitates ſuas de facto aliis contulit, non de iure. Poſtquam vero gratiam Regis eſt adeptus, Epiſcopus Olomucenſis eſt effectus, et ſic de inimicis ſuis honorifice triumphauit.

CAPVT X.

De bello duorum Regum Romanorum, et de victoria Regis Boemorum.

1322. Regum duorum Romanorum, videlicet *Ludwici* de Bauaria, et *Friderici* de Auſtria, dampnoſa contentio, quae VIII. annis totam Almaniam grauiter oppreſſit, hoc anno interueniente conflictu duriſſimo conquieuit. Nam hii duo Reges fortiſſimis coadunatis exercitibus iuxta oppidum Muldorf, ſitum in dioceſi Salczburgenſi, pariter conuenerunt, et in die beati Wencezslai Martyris acerrimum praelium commiſerunt. Porro *Ludwicus* Regem Boemiae, *Henricum* Ducem Bauariae, generum eius, ac *Bernhardum* Ducem Sleſiae habuit pro ſua parte; Comitum vero et Nobilium de diuerſis partibus exercitus fuit magnus. *Fridericus* etiam cum fratre ſuo Duce Auſtriae de diverſis regnis exercitum habuerunt copioſum. Cumque iſti exercitus ex aduerſo contra ſe iacerent, irruit ſpiritus fortitudinis in Regem Boemiae, et Regem *Ludwicum* incitat ad praelium, vniuerſumque exercitum iubet in craſtino eſſe paratum. Mane facto munitus ſacroſanctae Euchariſtiae Sacramento, miſſa completa bellum cum ſuis viriliter inchoat, feliciterque conſummat, triumphum reportat. Haud dubium, quin ſanctus Wencezslaus, Boemorum Patronus, cum ſuo affuerit praeſidio, in cuius feſto Princeps ſuae patriae pro vita, pro pace, et pro patria dimicauit. In hoc bello duriſſimo, quod fere die durauit integro, *Fridericus* Rex cum ſuo fratre capitur, magnaque pugnantium occiditur multitudo. Sic itaque *Lodewicus* Rex diuino fretus auxilio ex opitulatione Regis Boemiae hac die palmam victoriae de hoſtibus

bus obtinet glorioſe. De parte vtriusque exercitus MC. viri in loco praelii mortui ſunt inuenti, equorum tria millia ſunt occiſa. Et ibidem *Plicbta*, Baro ſtrenuus Boemus, eſt occiſus. De exercitu *Friderici* praeter interfectos MCD. viri Nobiles ſunt capti, et reliqui fugierunt. *Fridericus* Rex per Regem *Lodeuicum* detinetur; *Henricus* vero frater eius Dux Auſtriae a Rege Boemiae in Burgelino vinculis mancipatur, cui praeſignatum fuit, quod Rex Boemiae fieret, quia Auſtrales quaſi certi fuerant de victoria aduerſariorum, et terras veluti iam captorum inter ſe quodam funiculo diſtributionis ante initium praelii diuiſerunt, neſcientes, quod varii ſunt euentus bellorum, et quod victoria eſt de coelo. Adhuc liberos hae terrae habent Duces tres, vterinos fratres, *Leupoldum*, *Ottonem*, *Albertum*. Hi laborant diligenter, vt duos captos de vinculis educant ſuos germanos. Rex Boemiae XX. die Pragam ingreditur poſt triumphum, laetanter ſuſcipitur. Clerus cantat, ſonus campanarum reſonat, populus laetatur, tota ciuitas iocundatur. 1322.

Eſt igitur laeta Praga laetitiaque repleta.
In terra tota fit et haec victoria nota.
Omina ſunt gentis ſub nutibus Omnipotentis.
Cui benedicamus, et ei laudes referamus.

Eodem anno inundatio maxima fuit aquarum, et in quibusdam terris maximus fuit panis defectus.

Eodem anno Rex Boemiae de ciuitate et prouincia Egrenſi, pro XX. millibus marcarum per *Lodeuicum* Regem ſibi obligatis, pro debitis, ſe nomine Imperii intromittit, et abinde iterum verſus Lucenburch procedit, et *Henrico* iuueni de *Lipa* regni gubernacula recommittit.

CAPVT XI.

De liberatione Ducis Auſtriae, et de exilio Reginae Boemiae.

1323. Anno Domini MCCCXXIII. in die Natiuitatis Chriſti *Henricus* Dux Auſtriae de Burgelino Pragam fuit adductus, et interuenientibus pactis et tractatibus diuerſis, altera die procedens fratres ſuos viſitauit in Auſtria, qui, cum conditionibus et pactis ab ipſo Duce capto factis nollent quieſcere, praefatus Dux priſtinae ſe captiuitati coepit vltroneus mancipare. In feſto autem beati Bartholomaei per Vngariae et Boemiae Reges inter alios amicabiles tractatus, tractatum eſt, quod idem Dux Auſtriae Regi IX. millia marcarum argenti dare, et quaedam ardua priuilegia reſignare. Vnum erat, in quo maiores Barones Boemiae temporibus *Alberti* Romanorum Regis, Ducum Auſtriae Genitoris, plura incaute fecerant iuramenta et promiſſa, cum priuilegiis *Henrici* Ducis Karinthiae, quae habuit ſuper regnum Boemiae, reſignare Duces Auſtriae promiſerunt, et quaedam ciuitates cum munitionibus Regi obligantur, et ciuitas Znoyma cum caſtro, quae prius a regno fuerat abſtracta, Regi et regno iterum adunatur.

Eodem anno in die Paſchae *Elizabeth* Regina Boemiae duas gemellas filias, *Annam* et *Elizabeth*, in Cambia Bauariae pariter eſt enixa.

Eodem anno *Wenceszlaus* Regis primogenitus de Boemia patre iubente ad regnum Franciae deducitur, vbi Pariſius per *Mariam* Reginam Franciae Materteram ſuam ſuſcipitur, et legaliter educatur. Eidem octenni puero ibidem puella, nonomine *Blanczа*, ſoror fratris *Philippi* Regis de ſtirpe regia, deſponſatur. Circa idem tempus in die

die Sancti Spiritus *Elizabeth*, dicta Regina de Grecz, Monasterium sanctimonialium Ordinis Cistercienſis prope Brunnam fundauit, quod Aulam Mariae nominauit. Circa idem tempus *Ludwicus* Rex filio ſuo primogenito Bramburgenſem Marchionatum contulit naturalibus Principibus orbatum, et eidem *Criſtofori* Regis Daciae filiam matrimonialiter copulauit. 1323.

Eodem anno Rex Boemiae de Lucenburch Pragam venit, et decimam pecuniae recepit ab vniuerſis regni ciuitatibus, bernamque recepit ab omnibus, et ſic cum eiulatu pauperum maximam pecuniam congregauit. Cum autem aliqua debita perſoluiſſet, et munitiones aliquas a Baronibus redemiſſet, iterum exiuit de regno. Vnde hoc anno Boemia facta eſt velut acephala et pupilla. Caruit enim Domino Epiſcopo, Rege et Regina; et ipſa licet vera eſſet haeres Boemiae, haeredibusque pulcherrimis decorata, tamen aliquorum Baronum inuidia graues perſecutiones eſt perpeſſa. Ipſa enim Regi inſtat, vt diſperſum regnum colligat, caſte, iuſte et pie viuat. Hoc regni occupatoribus odii fomitem miniſtrabat, ideo exulat in terra aliena. *Ludwicus* vero Rex, nec non *Henricus* Dux Bauariae, gener ipſius Reginae, multae legalitatis officia ei liberaliter impendere ſtudebant.

Hoc anno in vigilia beati Vrbani in nocte tantum gelu fuit, quod ſegetes, vites vineasque deſtruxit.

Notabile quoddam.

Anno Domini MCCCXXIIII. Propter hyemis et aeſtatis in calore et humore temperantiam bladum et vinum fructusque arborum, et principaliter propter bonam influentiam coeleſtium corporum, 1324.

1324. et vniuerſa terrae naſcentia optime prouenerunt. Niſi quod grando et fulmina in diuerſis mundi partibus tam in occiſione hominum, quam laeſione fructuum paſſim maxima dampna fecerunt, et quod rarum eſt, in vigilia beati Galli coruſcationes, et ictus horribiles fulgurantis tonitrui fuerunt in aliquibus locis, et circa feſtum Annunciationis. *Maria*, Regina Franciae cum partu moritur, et ad ſanctum Dioniſium honorifice ſepelitur. Et Rex Boemiae vehementer expauit, cum hunc florem iuuentutis, habentem morem ſenectutis, audiuit tam cito praeciſum. Hoc anno in die beati Georgii ſole oriente eclipſis eius fuit facta, ſed vix ad vnivs horae ſpatium perdurauit, et circa feſtum Penthecoſtes Rex *Ludwicus* filiam Comitis Holandiae duxit legitimam vxorem.

Hoc anno inter Dominum *Iohannem* Papam XXII. et inter *Lodùicum* Regem diſcordia, quae latuerat, omnibus innoteſcit, et ex hac in ſancta Matre Eccleſia cum ſcandalo maximum creſcit ſciſma. Hii contra ſe alterutrum faciunt proceſſus, quos vbique publicant, et in ipſis proceſſibus leges et iura allegant. Dominus Papa in ſuis proceſſibus *Luduicum* non Regem, ſed Imperii nominat occupatorem, ac vice verſa *Luduicus* de Domino Papa pronunciat contraria diuerſa. Sic itaque Papa contra ipſum Reges et Principes ſuſcitat, et ipſe contra eos repugnat. Vterque ipſorum Epiſcopatus in Almania confert, et vt, heu! hodie apparet, in multis Kathedralibus Eccleſiis error manet, et non tantum in Almania, verum etiam in Lombardia illuſtres plurimi viri et plures ciuitates Papae ſe opponunt, clauesque Eccleſiae ſub excommunicationis aſtricti vinculo vilipendunt, et contra aliquos, vtpote contra *Canem*, Dominum Weronenſem, et ciuitatem Mediolanenſem Dominus Papa, tanquam contra rebelles, exercitus bellatorum pluries

ries transmisit, vt saltem gladio domaret materia- 1324.
li, quos sibi subiugare non poterat claue spirituali, et proh dolor! aliquociens papalis exercitus ab aduersariis fuit prostratus, vnde pariter petamus et dicamus:

Ecclesiam rege Christe piam, rege nauiculamque
Petri, ne mersa pereat, sed abinde respersa
Scisinata fac cedant, hanc ne de caetero laedant.

CAPVT XII.

De processu Domini Iohannis Papae contra Luduicum Regem.

Vt autem causa discordiae, quae inter Dominum *Iohannem* Papam et *Luduicum* Regem possit patere, hic processus continetur. *Iohannes* Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis *Iohanni* Pragensi Episcopo, ac Capitulo Ecclesiae Pragensis, salutem et apostolicam benedictionem. Nuper contra dilectum filium magnificum virum, *Luduicum*, Ducem Bauariae super eo, quod electione sua in Regem Romanorum promouendum Imperatorem per quosdam, qui vocem in electione huiusmodi habere dicuntur, in discordia celebrata, per Sedem Apostolicam, ad quam electionis huiusmodi et personae electae examinatio, approbatio, admissio, ac etiam reprobatio et repulsio noscitur pertinere, non admissa, nec etiam reprobata, administrationem regiminis Romani regni seu Imperii se irreuerenter ac indebite per se et alios ingerebat. De fratrum nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis praesente multitudine copiosa fidelium, videlicet VIII. Idus Octob.

1324. proceſſum fecimus continentiae infra ſcriptae. *Iohannes* Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Attendentes, quod, dum errori non reſiſtit is, ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcunque praeſumitur conſentire, quodque plerumque opprimitur iuſtitiae veritas, ſi defenſionis opportunae illi beneficium ſubtrahatur, profecto nec errori damnabili conſentire per reſiſtentiae negligentiam volumus, neque pati ob defectum opportunae defenſionis praeſidii iuſtitiam opprimi Sponſae Chriſti. Dudum ſiquidem per obitum clarae memoriae Henrici Romanorum Imperatoris, Imperio Romano vacante, Principes eccleſiaſtici et ſeculares, ad quos, translato ab olim per Sedem Apoſtolicam praedicto Imperio de Graecis in perſonam magnifici Karoli in Germanos, futuri Romani Regis in Imperatorem poſtea promouendi electio pertinebat, votis eorum in diuerſa diuiſis duos in diſcordia elegerunt, quibusdam eorum in dilectum filium magnificum virum *Luduicum* Ducem Bauariae, quibusdam vero in dilectum filium *Fridericum* Ducem Auſtriae, nominando et eligendo eos in Romanorum Reges, dirigentibus diſcorditer vota ſua. Verum praefatus *Luduicus* a nobis, ad quem ſuae electionis huiusmodi, ſicut praemittitur, in diſcordia celebratae, ac perſonae ipſius examinatio, approbatio et admiſſio, repulſio quoque et reprobatio noſcitur pertinere de electione praedicta, nequaquam admiſſa, nec eius approbata perſona, ſicut notoria fama notoriat, et publica facti euidentia manifeſtat, non quaerens, vt deberet, per hoſtium ad huiusmodi regni ſeu Imperii conſcendere faſtigium dignitatis, ſed potius aliunde, neſcimus, quo ductus vel potius ſeductus conſilio, praefati Romani regni nomen ſibi et titulum vſurpavit, quamuis priusquam alterutrius eorum per

Se-

Sedem Apoſtolicam fuiſſet approbata vel reproba- 1324.
ta perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuerit nomen et tytulum praelibatum, cum nec interim Romani Reges exiſtant, nec in Reges electi, nec ſint habendi pro Regibus, nec etiam Reges nominandi. Idem etiam *Ludwicus* eodem tytulo praeſumpto non contentus, adminiſtrationem iurium regni et Imperii praedictorum in grauem Dei offenſam et contemptum, ac manifeſtam iniuriam Romanae Eccleſiae Matris ſuae, ad quam eiusdem vacantis Imperii regimen, ſicut et in praeſenti vacat, dinoſcitur pertinere, nec non et in plurimorum ſcandalum et reipublicae laeſionem, ac animae ſuae detrimentum proſilire, ſeque illi immiſcere irreuerenter ac indebite hactenus praeſumpſit, et praeſumit exigendo et recipiendo ſub praefato tytulo regio in Almania et nonnullis Ytaliae partibus, tam a perſonis Eccleſiaſticis, quam ſecularibus Imperii Vaſallis per ſe et alios iuramenta, ac de dignitatibus et officiis, ad eiusdem Romani regni ſeu Imperii diſpoſitionem ſpectantibus pro ſuo libitu diſponendo, ſicut proximis hiis diebus praeteritis de Marchionatu Bramburgenſi, quem primogenito ſuo de facto puplice contulit et ordinauit, nec non alia plurima exercendo, quae ad praefatum Imperium videntur pertinere. Eiusdem inſuper Eccleſiae Romanae, ſicut *Galeatio* de Vice Comitibus, et eius fratribus, quamuis ſint de crimine haereſis a ſuis competentibus iudicibus exigente iuſtitia per diffinitiuam ſententiam condempnati, et nonnullis Eccleſiae praefatae rebellibus ſe exhibere fautorem et defenſorem, contra dictam Eccleſiam perſequentem, aduerſus eosdem rebelles iura Imperii, et negotium fidei in grauem diuinae Maieſtatis iniuriam, contemptum eiusdem Eccleſiae, et animae ſuae perniciem non eſt veritus nec veretur. Nos itaque tam temera-

riis

§324. riis auſibus, ne mos tam pernitioſus inualeſcat in poſterum, obuiare, et prout ad Apoſtolatus noſtri ſpectat officium iuſtitiam Sponſae in hac parte defendere, dictum *Luduicum* a tam pernicioſo erroris deuio ad veritatis callem reducere cupientes, ac conſiderantes, quod ad eius praeſentiam ad proponendum coram eo praeſentialiter, per quae poſſet et deberet retrahi a praedictis, nequaquam tutus patet acceſſus, quodque in praemiſſis formidatur, quod mora periculum, et diſſimulatio dampnum forent procul dubio allaturae, ad prouidendum ſuper praemiſſis exceſſibus, et obuiandum eisdem ſubſcriptum modum de fratrum noſtrorum conſilio, ac ex certa ſcientia, et de Apoſtolicae poteſtatis plenitudine eligentes praefatum *Luduicum* praeſente fidelium multitudine copioſa praeſentium tenore monemus, eidem ſub virtute ſanctae obedientiae, ac excommunicationis poena, quam in ipſum, niſi cum effectu huiusmodi monitioni noſtrae paruerit, incurrere volumus ipſo facto, authoritate Apoſtolica nihilominus iniungentes, vt infra trium menſium ſpatium a datis praeſentium computandis, quod ei de eorundem fratrum conſilio pro peremptorio termino aſſignamus, ab adminiſtratione fautoria et defenſione praedictis prorſus abſtineat et deſiſtat, adminiſtrationem ipſam per ſe ſeu per alios vlterius non reſumpturus, niſi tunc demum, cum et ſi electionem ſuam ac perſonam eiusdem per Sedem Apoſtolicam approbari contigerit et admitti, quodque geſta per eum poſt praeſumtum ab eo tytulum memoratum circa praemiſſa, quatenus proceſſus de facto, cum de iure non teneant velut ab ipſo, cui ius faciendi non competebat nec competit, attemptata curet infra praedictum terminum, quantum patietur poſſibilitas, realiter reuocare, aperte per praeſentium ſeriem, intimantes eidem, quod ſi in

prae-

praemiſſis per eum infra praefatum terminum ex- 1324
equendis negligens fuerit vel remiſſus, nos contra
ipſum ad publicationem poenarum, in quas propter praemiſſos exceſſus notorios incidiſſe noſcitur, vel incidet in futurum et alias, quantum ſuadebit iuſtitia, eius non obſtante abſentia, procedemus. Vniuerſis igitur Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis et aliis perſonis Eccleſiaſticis quibuscunque ſub poena ſuſpenſionis ab officio et beneficio, quam eos incurrere volumus ipſo facto, niſi infra dictum terminum infra ſcriptae inhibitioni noſtrae ſtuduerint efficaciter obedire, et tam ipſis, quam omnibus et ſingulis Ciuitatibus, Communitatibus et Vniuerſitatibus, nec non perſonis ſecularibus quibuscunque, cuiuscunque conditionis aut ſtatus exiſtant, etiamſi regali aut quacunque alia praefulgeant dignitate, in virtute ſanctae obedientiae ac ſub poena excommunicationis in perſonas et interdicti in terris eorum, nec non priuationis priuilegiorum Apoſtolicorum quorumcunque et Imperialium ac feodorum, quae ab Eccleſia vel Imperio obtinent, diſtrictius inhibemus, ne praedicto *Ludwico* in premiſſis vel aliis regni ſeu Imperii tangentibus regimen, tanquam Regi ſeu in Regem Romanorum electo, niſi et quouſque dictam electionem ac perſonam ipſius per Sedem Apoſtolicam approbari contigerit et admitti, in aliquo pareant vel intendant, neue eidem in quibuscunque ad praelibatum regimen ſpectantibus praebeant auxilium, conſilium vel fauorem. Non obſtantibus ſi ipſi vel ipſorum aliqui ad hoc ſe dicto *Ludwico*, vt Regi ſeu in Regem Romanorum electo, aſtrinxerint per fidelitatis vel alterius cuiuscunque generis iuramenti, quae quidem cum praeſtita fuerint ei, cui minime praeſtari debuerant, nec ſeruari ſine aeternae ſalutis valeant detrimento, praeſtantes eadem non adſtringunt,

quae

1324. quae nihilominus ad cautelam auctoritate Apoſtolica relaxamus, illaque caſſa et irrita denuncian-tes, decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus ſeruanda. Seu ſi praefato *Ludwico*, vel quibuscunque aliis communiter vel diuiſim per literas Sedis eiusdem foret ſub quacunque verborum forma vel expreſſione conceſſum, vel in poſterum concederetur, quod excommunicari, ſuſpendi, vel terrae ſiue loca interdici non poſſunt, quas contra praeſentem proceſſum noſtrum in nullo volumus eis ſuffragari, ſed ipſas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex praemiſſis autem nos nequaquam volumus nec intendimus obligari, quin ad publicationem dictarum poenarum, et alias contra dictum *Ludwicum* poſſimus pendente huiusmodi dilatione procedere, prout iuſtum fuerit et nobis viſum expedire. Vt autem huiusmodi proceſſus noſter ad ipſius *Ludwici* et aliorum, quorum intereſt, communem notitiam deducatur, cartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem in Eccleſia Auinionenſi appendi vel affigi hoſtiis vel ſuperlimitaribus faciemus, quae proceſſum ipſum patulo iudicio publicabunt, vt idem *Ludwicus* et alii, quos idem proceſſus tangit, nullam poſſint praetendere excuſationem, quod ad eos non peruenit, vel quod ingnorauerint eundem. Volumus autem, et Apoſtolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi proceſſus eundem *Ludwicum* ſeu alios praedictos tangat, apprehendat et artet, acſi eisdem perſonaliter publicatus et inſinuatus ſolempniter exſtitiſſet, conſtitutione quacunque per praedeceſſores noſtros Romanos Pontifices in contrarium edita non obſtante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis et conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemp-

tare

tare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinione VII. Idus Octob. Pontificatus noſtri anno VIII. 1324.

CAPVT XIII.

De obſidione Metenſis ciuitatis per Regem Boemiae.

Eodem anno integro Rex Boemiae extra ſuum regnum permanſit, et in diuerſis Reni partibus multa praelia commiſit, Archiepiſcopum Colonienſem grauiter impugnauit. Tandem in vigilia beati Mathaei Euangeliſtae Metenſem ciuitatem potenter obſedit, quam diebus XIIII. vallauit, et variis moleſtiis conturbauit, et in receſſu in ſuis munitionibus ciuitati vicinis validos impugnatores ordinauit.

Hoc anno Dominus *Iohannes* Papa XXII. fratrem Thomam de Aquino, Ordinis Praedicatorum, Sacrae Theologiae Magiſtrum, anno mortis ſuae quinquageſimo, ſolempniter in Auinione canonizauit, et ipſum Sanctorum Kathalogo annotauit. Hic ſanctus Thomas, cum in quadam Capella Pariſius ante ymaginem beatae Virginis devotus oraret, ymago dixit: Thoma! quid petis? at ille: Vitam aeternam peto. Et Chriſtus ei etiam apparens dixit, quod bene de corpore ſuo et ſanguine ſcripſiſſet. Iſte Sanctus in Theologicis et in Philoſophicis ſcientiis tanta docuit et libros multos ſcripſit, quod nomen Doctoris excellenter ſibi vſurpauit. Porro ſanctus Thomas per Dominum *Gregorium* X. Papam vocatus ad Lugdunenſe generale concilium, in itinere conſtitutus,

iuxta

1324. iuxta Abbatiam Ciſtercienſis Ordinis, quae dicitur Noua Foſſa, grauiter eſt infirmatus, et de hac vita migrauit ad Dominum. Hora eadem Abbas vicini monaſterii in choro ſtans ſub nocturnis vigiliis ſompno premitur, eidemque in viſione vna ſtella praelucida ardens quaſi facula oſtenditur, quae quaſi de coelo cadens ante altare maius in ſanctuario ſe abſcondit, et quid hoc eſſet, dum miraretur, audiuit ſanctum Thomam eſſe defunctum, qui corpus ipſius in eodem loco ſanctuarii ſepeliuit.

Grate Deo Thoma quaſi thus flagrans et aroma.
Nomen odoriferum retinens, clareſcere verum
Doctrinae lumen feciſti, tu quaſi flumen,
Hanc diffudiſti, quia totum ſcibile ſciſti.
Sidus in Eccleſia fueras, nunc vera Zophia
Ad ſe te traxit, ibi quod perpes tibi fax ſit.
Iam legis abſque ſono librum vitae, quia Throno
Doctorum coelo reſides, et ibi ſine velo
Cernis diuinam faciem, mihi fer medicinam
Culpis lanquenti, propria virtute carenti.
Et mihi ſolamen animae pie fer Pater. Amen.

Hoc anno menſe Auguſti *Elizabeth*, *Iohannis* Regis filia, gemella fuit nata, moritur, et in Aula Regia ſepelitur.

CAPVT XIV.

De aduentu Regis et Reginae in Boemiam.

1325. Anno Domini MCCCXXV. Domina *Elizabeth*, Regina Boemiae de partibus Bauariae ad regnum

plebitur autem haec ſagena, ſcilicet verbum, cum omnia, quae haec eadem verba per os Domini, et Sanctorum ſuorum pronunciata ſunt, totaliter et effectualiter implebuntur. Nam in Euangelio Matthaei legitur: Nec vnum iota de hiis peribit, nec ceſſabit generatio, donec haec omnia fiant, quia coelum et terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Sicut in Euangelio Lucae legitur. Poſtquam autem ſagena illa ſiue verbum Dei fuerit adimpletum, tunc ſtatim adimplebitur ſimiliter et numerus Sanctorum in verbo Dei, et malorum propter verbum Dei, prout in Apocalypſi Iohannes vidit, et in figura dixit: Vidi ſubter altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes: Vſque quo Domine ſanctus et verus non vindicas ſanguinem noſtrum de hiis, qui habitant in terra, et datae ſunt illis ſingulis ſtolae albae, et dictum eſt illis, vt requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut et illi. Poſt impletionem ſagenae ſeu verbi, et numeri praedictorum, inſtabit dies nouiſſima, et vltimi iudicii, prout Euangeliſta innuit in verbis praeaſſumptis, dum dicitur: Sic erit in conſummatione ſeculi etc. Et tunc in illo iudicio educetur illa ſagena impleta, vnde dicit: Educentes. Et ipſi iidem erunt educentes, qui fuerant mittentes eam, videlicet Apoſtoli. Et ipſi educent ſagenam ſeu verbum, quod in nos ſeminauerunt vna cum agro, et ſeminum fructu, et plenam educent, ſeu impletam, videlicet bonis et malis, id eſt, in illis, in quibus verbum Dei bene fructificauit, et illis, in quibus male, ſicut in Euangelio Lucae legitur: Quae homo ſeminat, ea et metet, et in Pſalmo: Qui ſeminat in lacrimis, in exultatione metet. Et quia ipſi ſeminauerunt in nobis, et de nobis

— metent, et educent. Educent autem nos per IIII. funes in ſagena praedicta, adinſtar ſagenae materialis, quae ſimiliter per IIII. funes ducitur. Sunt enim in qualibet ſagena IIII. funes, duo ſuper aquam ſe tendentes, et duo inferius ſub aqua natantes, et hii duo inferiores correſpondent duobus ſuperioribus, ita, quod ille, qui eſt in dextra inferiori, correſpondet illi, qui eſt in dextra ſuperiori, et in ſiniſtra inferiori, illi qui eſt in ſiniſtra ſuperiori. Sic etiam eſt in iſta ſagena ſpirituali, in qua ſunt ſimiliter quatuor funes, per quos omnes trahimur, duo ſcilicet ſupernatantes, et illi ſunt ex parte Dei, videlicet gratia et fortitudo; et duo inferius natantes, qui ſunt ex parte noſtri, videlicet charitas et odium. Primo funi ſuperiori, ſiue gratiae Dei reſpondet primus inferior, ſiue charitas, et hiis duobus bonis trahuntur boni. De primo Dominus in Euangelio Iohannis: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus attraxerit eum, ſcilicet per gratiam. De ſecunda ſimiliter dicit in Euangelio Iohannis: Si quis diligit me, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, ſeu tracti in charitate, ſeu dilectione per gratiam, et manſionem apud eum faciemus. Et de hiis duobus poteſt intelligi, quod dicit Pſalmiſta: Funes ceciderunt mihi in praeclaris.

Item ſecundo funi ſuperiori, videlicet fortitudini, correſpondet ſecundus inferior, ſeu odium, et in hiis trahuntur omnes mali. Nam omnis, qui male agit, odit lucem, ſicut dicitur in Euangelio Iohannis: et quoad illos magis neceſſaria eſt fortitudo Dei, quam ad primos. Nam primi voluntarie veniunt ad iudicium, ſperantes praemium. Iſti autem fugient iudicium, timentes ſupplicium aeternum, et abſcondent ſe, et in ſpeluncis et petris montium, et dicent montibus et petris: Cadite ſuper nos, et abſcondite a facie

ſeden-

ſedentis ſuper thronum, et ab ira agni, quando veniet dies magnus irae ipſorum, et quis poterit ſtare, ſicut legitur in Apocalypſi. Quare quoad eos neceſſaria eſt fortitudo, vt per illam trahanter inuiti. De prima, ſeu fortitudine poteſt intelligi, quod dicit Apoſtolus: Omnes rapiemur, ſeu fortitudine Dei obuiam Chriſto in aera. Et quod Saluator in Euangelio dicit: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum ſeu fortitudine. De ſecundo vero legitur in libro Regum: Extendet ſuper Ieruſalem funiculum Samariae, et pondus domus Achab. De ambobus dicit Pſalmiſta: Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et ſic omnes educentur per Apoſtolos in illa ſagena. Poſtquam vero fuerit impleta, vt dictum eſt, ſcilicet bonis et malis. Nam vt ait Apoſtolus: Omnes ſtabimus ad tribunal Dei, recepturi prout in corpore geſſimus.

Educet autem nos ad littus, et tribunal Omnipotentis Dei, quod proprie littori comparatur. Nam ſicut littus eſt terminus nauigantium, ſic illud tribunal terminus et finis omnium fluctuantium in hoc ſeculo. Tunc erunt ſedentes ſecus littus, id eſt, tribunal, vt ſupra dictum eſt, ſicut ait Saluator in Euangelio: Cum ſederit filius hominis in ſede Maieſtatis ſuae, ſedebitis et vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et: Eligent coniudicantes Domino noſtro bonos in vaſa ſua, id eſt, aſcribent eos in aeterna tabernacula, vbi pax eſt et gaudium, ſuo recto iudicio. Malos autem foras mittet, id eſt, ad gehennam perpetuam condempnabunt, vbi eſt fletus et ſtridor dentium; quod fiet in verbo Dei, cum dicet bonis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum etc. Ad malos autem: Ite maledicti in ignem aeternum, ſicut legitur in Euangelio Matthaei.

Quo iudicio finito ſtatim angeli, tanquam miniſtri et executores dictarum ſententiarum et iudicii, ſeparabunt malos de medio iuſtorum, et mittent eos in caminum ignis, vt ſequitur in verbis Euangelii praemiſſi. Nam ipſi ſunt miniſtri verbi Dei, vt de eis Pſalmiſta dicit: Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtutes facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius miniſtri, qui facitis voluntatem eius.

Sequitur autem in verbis praemiſſis: Intellexiſtis haec omnia? Dicunt ei: Etiam. Interrogatoria ſunt haec verba. Vnde cum Dominus propoſuiſſet diſcipulis praedictas tres parabolas, interrogabat eos verbis hiis: Intellexiſtis haec omnia? Interrogauit autem eos, non quia de eorum ſcientia dubitaret, quia omnia nouit, antequam fiant, ſed vt interrogando intellectum eorum ad ſui cognitionem altius eleuaret, quod nobis in perſona Petri liquide in Euangelio Matthaei demonſtratur, cui interrogato: Quem homines dicunt filium hominis, reſpondenti: Tu es Chriſtus, Filius Dei viui, ſtatim a Domino dictum eſt: Caro et ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in coelis. Ecce quomodo ad interrogationem diſcipulorum intellectus fuerunt continue eleuati, vnde protinus reſponderunt: Etiam Domine. Dominus igitur eleuationem intellectus ipſorum conſpiciens, ac ipſos ad capienda verba ſuae ſanctae doctrinae feruentes conſiderans, ipſosque amplius adhuc allicere et inuitare cupiens, praemia coeleſtia eis pro mercede pollicetur, dicens: Ideo omnis ſcriba doctus in regno coelorum, ſimilis eſt Patri familias, qui profert de theſauro ſuo noua et vetera. Et bene dicit ſcriba doctus, qui videlicet verbo doctrinae, et exemplo bonae vitae, alios erudiendo inſtruit, et informat. Nam qui

do-

docent, et non faciunt, vocantur quidem ſcribae, ſed non docti, vt patet in Euangelio Matthaei: Super Kathedram Moiſis ſederunt Scribae et Fariſaei, ſecundum doctrinam eorum facite, ſed opera eorum nolite facere. Ecce, quod vocantur ſcribae, ſed non docti. Non autem omnis ſcriba, ſed dumtaxat ſcriba doctus, ſimilis eſt Patri familias, qui de theſauro ſuo profert noua et vetera. Theſaurus vero eſt diuitiae ſucceſſiue reconditae. Sicut igitur Paterfamilias tempore opportunitatis et neceſſitatis, pro gloria ipſius de theſauro ſuo profert noua, quae nouiter recondidit, et vetuſta, quae dudum reſeruauit. Sic ſcriba doctus de theſauro ſuo, quem Spiritu ſancto inſpirante in corde ſuo recondidit, pro gloria in coeleſti patria adeptura, ad eruditionem et iuſtificationem aliorum, ſua ſancta praedicatione et eruditione noui et veteris teſtamenti miſteria ſalubriter profert, et exponit recte. Etenim tales ſunt ſcribae docti, de quibus ſcribitur in Daniele: Qui autem docti fuerint, fulgebunt, etc. et qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates.

Plures etiam epiſtolas, in quibus multa vtilia et ſalutaria continentur, ſcripſit iſte *Karolus* diuerſis temporibus ad diuerſas perſonas, ita profundi ſermonis, et alti intellectus, vt etiam Magiſtri ſacrae Theologiae ingenium ipſius in magna haberent ammiratione. In Biblia quoque tantam habebat ipſe memoriam, vt ſi quando coram lecto ſuo, vt ſolitus erat, haec legerentur, ipſe legentem in libro cordetenus corrigeret et emendaret. Multi etiam Magiſtri liberalium artium de huius Principis ſcientia et peritia mirabantur, intra ſe dicentes: Quomodo hic ſcit et profecit in ſcientia, qui pauco ipſe ſcholas frequentauit, et in iu-

ventute poſtea deditus ſeculi negotiis, Miles ſtrenuus magis in ſeculo, quam in ſcholis fuit conuerſatus. Sed vt concludam, Deo nihil eſt impoſſibile, cuius Spiritus, vbi vult, ſpirat. Et David canit: Domine non cognoui literaturam etc. Et ex ea hora inceperunt omnes malefici, ipſorumque fautores Principem hunc magis formidare, quia procurabat fideliter, et cum omni promptitudine in regno iuſtitiam atque pacem, et perdidit de terra impios, et deſtruxit caſtra et munitiones, ac receptacula malorum, et viguit pax atque iuſtitia omnibus diebus vitae huius Principis, non ſolum in ſuis terris, ſed etiam in aliorum Principum diſtrictibus et territoriis, qui ad inſtantiam huius pacem procurabant.

Eodem tempore inuentae fuerunt argentifodinae in Bresnik, et pauco tempore durauerunt.

Poſt haec, dum *Karolus* foret conſtitutus in Vngaria apud Regem Vngariae, qui tunc grauiter infirmabatur, interim miſit *Ludwicus* Bauarus, occupator Imperii, ſuos Ambaſiatores ad *Iohannem*, Regem Boemiae in Luczemburgam, petens ſibi exhiberi omagium fidelitatis ratione regni Boemiae, et quoniam alias promiſerat et iurauerat ipſe *Ludwicus Karolo*, filio Regis Boemiae, nihil ſe velle tractare cum eodem Rege Boemiae, niſi praeſente ipſo filio ſuo *Karolo*, et eius accedente conſilio omnia diſponere atque ordinare, habuit enim *Karolus* ſuſpectum *Ludwicum* Bauarum, ne deciperet Patrem ſuum, prout tamen euenit, et exitus rei docuit. Nam *Ludwicus* dixit ad Regem Boemiae: Cum filio veſtro *Karolo* concordauimus ante tempora, et voluntatis ſuae eſt, vt facias nobiſcum concordiam abſque illo. Crediditque Rex *Iohannes* verbis eius fallacibus, et recepit omagium ab eo, abſque filii ſui ſcitu ac voluntate.

Ha-

Habuit autem Rex *Iohannes* filium ſuum ſuſpectum ex eo, quia dixerat *Ludwicus*, quod ſecum concordauerat abſque ſuo ſcitu, et e conuerſo filius ſuſpicionem habebat de parente, quia omagium fecerat illi, tanquam Imperatori, abſque eius voluntate, contra condicta, quae habebant mutuo.

Poſtea veniens *Karolus* in Miltenberch, Maguntinae dioceſis, ad Patrem ſuum, poſtquam intellexit dolum et fraudem *Ludwici* Bauari, renuit ſigillare ac roborare placita et condicta Patris ſui inita et facta cum *Ludwico* Bauaro, et redeuntes ambo, Pater et filius Boemiam, concordauit *Karolus* Regem *Iohannem*, Patrem ſuum cum *Nicolao*, Duce Oppauiae, qui factus eſt Vaſallus regni Boemiae.

Eo tempore facta eſt gwerra et diſcordia inter Regem Boemiae, et Epiſcopum ac Capitulum Eccleſiae Wratislauienſis, quibus pro eo, quod Coronae regni Boemiae ſubiacere noluerunt, abſtulit caſtrum eorum Milecz, et expulit eos de terra ſua. At illi excommunicabant Regem, et durauit gwerra et diſſenſio haec mala per duos annos. Audiens autem Rex *Iohannes*, quia Rex Franciae et Rex Angliae ſimul gwerrarent, dimiſſo filio ſuo *Karolo* pro Capitaneo in Boemia, per Budiſſin et terras illas, *v*) et venit Regi Franciae in auxilium. *Karolus* vero, dimiſſo pro Capitaneo in Boemia *Petro* de *Rozemberg*, ſecutus eſt Patrem ſuum per terram Bauariae, vbi inuenit *Henricum*, Ducem Bauariae, Sororium ſuum, mortuum. Terram autem illius occupauit *Ludwicus* Bauarus, vna cum puero illius *Iohanne*, iuuene decem annorum, nacta occaſione, quia volebat eidem *Iohanni* ipſe *Ludwicus* copulare filiam ſuam adhuc iuuenem, et non fantem.

Sed, vt ſupra dicitur, puer hic *Iohannes*, ſororius *Karoli*, intoxicatus veneno interiit, quomodo

v) Adde *profectus eſt*.

do et qualiter; Deus nouit. Et venit abinde ad Patrem ſuum, quem inuenit in vno oculo totaliter defeciſſe, et in ſecundo oculo incipientem infirmari. Tunc Rex *Iohannes* vna cum filio tranſierunt cum paucis in montem Peſſolani, vt ibidem per Medicos Rex in oculis curaretur. Sed medicamina non profuerunt, et excoecatus eſt Rex *Iohannes* in vtroque oculo, et amplius non vidit lumen vſque in diem exitus ſui.

Karolus vero diſpoſuerat ſic venire in auxilium Regi Hiſpaniae contra ſuos aduerſarios, ſed prohibitus per Patrem, a propoſito ſuo deſiit, et reuerſi ſunt ambo, videlicet Pater et filius, veneruntque in ciuitatem Auinionenſem, vbi Papa, *Benedictus* XII. cum ſua curia tunc reſidebat. Vbi manſerunt ambo aliquo tempore, tractantes cum Domino Papa ſua negotia. Ibidem reperit *Karolus* ſuum fauorabilem Doctorem et Magiſtrum, *Petrum*, olim Abbatem Monaſterii Fiſcanenſis, promotum iam in Epiſcopum Altiſſidorenſem, de quo mentio facta eſt ſuperius, quia quadam vice fecerat ſermonem in die Cinerum in praeſentia *Philippi* Regis Franciae, et erat exinde fauorabilis *Karolo*. Iſte *Petrus* poſtmodum factus fuit Archiepiſcopus Senonenſis, et poſtea Archiepiſcopus Rothomagenſis; poſtmodum Cardinalis Presbyter Tituli Sanctorum Nerei et Achilei. Qui quadam vice, dum recepiſſet *Karolum* ad hoſpitium ſuum in curia Romana, quia eum ſpeciali amore diligebat, dixit ad illum: Vos eritis, et promouebimini in Regem Romanorum. Cui *Karolus* reſpondit: Reuerende Pater, vos prius promouebimini in Pontificem Romanae ac vniuerſalis Eccleſiae. Quod vtrumque factum fuit poſt haec in breui, quia ille in Papam, et iſte in Imperatorem promoti ſunt, vt ſequentia edocebunt.

Ab-

Abinde ambo Principes noſtri reuerſi ſunt in Lucemburgam. Et *Karolus* tranſiens per Bauariam, venit Tyrolis. Abinde duxit fratrem ſuum *Iohannem* verſus Boemiam, demum Cracouiam, et vltra in Vngariam, facientes ligas et concordiam cum hiis Principibus. Quibus ibidem moram trahentibus, ſuperuenerunt nuncii, qui referebant, quia *Ludwicus* Bauarus procurauit, et efecit, vt vxor *Iohannis*, Comitis Tyrolis, conſpirationem fecit contra proprium virum, volens illum repudiare. At Princeps *Iohannes*, vbi haec audiuit, reuerſus eſt ad propria. Quem in breui ſecutus eſt *Karolus*, frater ſuus, qui veniens ad vallem Sny, inveſtigauit pro certo, quod quidam *Albertus*, filius naturalis dictae Comitiſſae, et Magiſter curiae *Raſſpo*, talem conſpirationem et proditionem procuraſſent, vt videlicet ipſa Comitiſſa nuberet *Ludwico*, filio Bauari, Marchioni Brandeburgenſi, dimiſſo et repudiato viro proprio. *Karolus* itaque poſuit inſidias *Alberto*, quem captum duxit ad caſtrum Schonburg prope Inſpurgam, vbi poſitus ad tormenta, omnia recognouit. Magiſtrum autem curiae capere non potuit, cuius caſtrum diſtrupit. Qui finaliter traditus eſt in manus *Karoli* per amicos proprios, ita tamen, quod nil laeſionis ſibi in corpore faceret, qui ſimiliter de omnibus praedictis confeſſus eſt. Vnde *Karolus* veniens ad fratrem in Tyrolis, fecit poni cuſtodiam diligentem.

Abinde reuerſus eſt *Karolus* Bauariam ad ſororem ſuam, relictam *Henrici* Ducis. Et abinde iterum per Salczburgam in dioceſim Brixienſem ad caſtrum Taubers per vallem Cadubrii ad ciuitatem Bellun, et nocturno tempore intrauit ſubvrbia caſtri fortiſſimi Immellarum in vigilia ſancti Wenceslai, et vallauit illud, et habuit atque obtinuit potenter.

Abinde transiuit per Tridentum Tyrolis, vbi mansit vsque ad festum Katherinae. Tunc vallavit et obsedit castrum Penede super lacum Gardi Venetorum, et fugata gente *Lukini* de Mediolano, habuit castrum illud, quod restituit Ecclesiae Tridentinae. Postea fuit datum *Karolo* castrum in dioceſi Vincentina, nomine Beluisum *Mastini* de la *Scala* Veronensis, ad cuius possessionem capiendam, et muniendum cum gentibus et expensis, transiuit ipse nocturno tempore sub magno periculo corporis sui, et suorum. Et reuersus per Tridentum, venit ad ciuitatem Belun, vbi accepit literas *Bertrandi*, Patriarchae Aquilegensis, quem opprimebat Dux Austriae, et Comes Goritiae, quorum exercitus iacebant ante ciuitatem Vtinam in Foro Iulii, quibus ipse Patriarcha resistere non valens, epistolam misit *Karolo*, vt sequitur.

Vobis Illustri Principi, Domino *Karolo* Primogenito Regis Boemiae, Marchioni Morauiae, nec non militiae vestrae notifico, quod domus Dominae Dominarum, et Virginis Virginum Aquilegensis per hostes grauiter opprimitur, quam omnes seruitores Dominarum ac Puellarum potius adiuuare deberent. Et ideo rogo vos et vestros, quod si quis vult seruire Dominae Dominarum, non permittat ita ipsius domum et bona violari.

Quibus auditis *Karolus* cum mille ducentis galeatis, et mille peditibus venit Patriarchae in auxilium. Insuper et frater suus *Iohannes*, Comes Tyrolis, superuenit cum quingentis galeatis in adiutorium Patriarchae. Audientes itaque aduersarii aduentum istorum duorum fratrum, et gentium suarum, nocturno tempore fugam inierunt, quos insecutus est *Karolus* vsque in ciuitatem Clemon, quam etiam per longa tempora obsedit potenter et vallauit. Abinde transiuerunt cum gentibus suis ad obsidionem ciuitatis Goritiae, et Comiti

miti illius prouinciae irrecuperabilia dampna intulerunt, vbi in obsidione dictae ciuitatis superueniente festiuitate Natalis Domini, Patriarcha Aquilegensis praedictus indutus omnibus armis bellicis, sola galea super altari stante, cantauit Missam primam illius diei.

Postquam vero deuastassent terras suorum inimicorum, et fecissent condignam vltionem de hiis, qui inuaserant domum Dominae Dominarum, ipsa adiuuante, quae suos nunquam derelinquit, reuersi sunt Principes nostri, *Iobannes* ad Comitatum suum Tyrolis, quem male custodiendo post in breui amisit, et *Karolus* Boemiam, qui in ciuitate Pragensi in carnis priuio celebrauit solempnem curiam, cui interfuerunt *Ludouicus*, Rex Vngariae, et *Fridericus* Dux Austriae, et multi alii Principes.

Illuc superuenerunt nuncii *Andreae*, fratris Regis Vngariae, qui erat in Apulia, significantes Regi: Quia *Robertus* Siciliae et Apuliae Rex diem clausisset extremum, et vt intercederet pro ipso ad Sedem Apostolicam pro sua coronatione. Rex vero Vngariae cognoscens, quod Papa *Clemens* VI. fauorabilis multum foret *Karolo*, vtpote, qui [illegible] mutuo interno amore diligebant, supplicauit eidem, vt suos illuc dirigeret nuncios, et fratri suo *Andreae*, qui duxerat in vxorem filiam filii Regis *Roberti*, nomine *Iobannam*, coronationem ad ipsum regnum impetraret. Cuius petitionibus *Karolus* annuens, misit nuncios, *Heymannum* de *Nacbod*, Baronem regni Boemiae. Sed non obtinuit intentum ex eo, quia inter *Iobannam* eandem, et Principes regni illius erat tunc magna dissensio. Ibidem inuenit iste nuncius *Iobannem*, Regem Boemiae, qui laborabat apud Papam pro reconciliatione *Ludwici* Bauari, nescientibus hoc filiis suis, erat enim in tractatibus inter *Ludwicum* Bauarum,

et

et *Iohannem* Regem Boemiae, quod *Ludwicus* ipſe debebat filiam ſuam tradere *Wenceslao*, filio Regis Boemiae vltimo genito, CCXL. millia marcarum pro dotalitio. Iam enim procurauerat ipſe *Ludwicus* eici *Iohannem*, filium Regis Boemiae, de Comitatu Tyrolis. Cuius vxorem tradidit ipſe filio ſuo *Ludwico*, Marchioni Brandeburgenſi. *Iohanni* vero ipſi expulſo promiſerat dare in recompenſam terram Luſatiae.

Quae res cum peruenisſet ad notitiam *Karoli*, diſplicuit illi vehementer, et ſcripſit Patri, quod, cum *Iohannes* paſſus eſſet a *Ludwico* Bauaro iniuriam, quare filium alium, videlicet *Wenceslaum*, praeferret illi in ſatisfactione fienda, cui nulla facta fuit iniuria. Item miſit nuncios ad *Ludwicum* Bauarum, ſignificans ei, quod cum iniuria ſibi facta eſſet, et fratri ſuo *Iohanni*, vtpote quia ſibi ipſe *Ludwicus* abſtulerat et terram et vxorem, ipſi nollent in hac parte tractatibus *x*), quos Pater eorum cum illo feciſſet, ſed ſoli, et per ſe ipſos vellent potius cum eodem *Ludwico* de hiis loqui, et placitare. Et receperunt terminum ad tractandum de hoc, *Ludwicus* in Cambia, et *Karolus* cum fratre in Tuſta. Tractatus vero iſte: quia *Ludwicus* volebat vice et loco ablatae vxoris *Iohannis* dare filiam ſuam, et poſt mortem ſuam dare illi coaequalem portionem cum aliis filiis ſuis. In vita autem *Ludwici* debebat illi aſſignare terram Luſatiae in recompenſam terrae ſuae ſibi ablatae, videlicet Comitatus Tyrolis.

Dum autem eſſent in tractatibus praedictis, ſuperuenerunt nuncii *Iohannis*, Regis Boemiae, Patris eorum, aſſerentes, quod Rex ipſe tractatus ipſos intellexerit, mandans, atque rogans, vt nullo modo eosdem finirent. Quia ipſe Rex *Iohannes*

x) Adde *ſubſcribere* vel *conſentire*.

baiues ligauit ſe iuramento pro ſe, et filiis ſuis cum Sede Apoſtolica contra *Ludwicum* Bauarum. Quibus *Karolus* reſpondit: Pater noſter iniuit tractatus cum *Ludwico* nobis neſcientibus, et filium iuniorem, qui nullam paſſus eſt iniuriam, praetulit nobis, qui paſſi ſumus iniuriam. Nos enim abſque ſcitu Patris noſtri nullam incepimus tractare concordiam. Sed poſtquam ipſe praepoſuit iuniorem filium ſuum nobis, qui non fuit iniuriam paſſus, et obliuiſcebatur eius, qui iniuriam paſſus eſt, neceſſarium erat nobis vtrobique, vt nosmet ipſi tractaremus. Quibus nuncii reſponderunt: Si aliquid eſt factum vſque modo, amplius non fiet, et de hoc vos aſſecurabimus ambos, dummodo nos aſſecuretis ſimiliter, quod abſque Patre veſtro nihil tractetis, neque tractatus inceptos finiatis.

Tandem *Karolus*, victus nunciorum Patris ſui precibus, renunciauit *Ludwico*, quod tractatus huiusmodi finire non poterat, receſſit abinde procedens verſus Luczemburgam, vbi a Patre gaudenter ſuſcipitur, et permanſit ibidem per carnis priuium. Et in Quadrageſima proceſſit verſus curiam Romanam in ciuitatem Auinionenſem ad Papam *Clementem* Sextum. Qui audiens aduentum *Karoli*, amici ſui, miſit illi obuiam omnes Cardinales ad ſpacium vnius milliaris, et cum magno gaudio a Papa, et a Cardinalibus ſuſceptus eſt. Vbi ſteterunt et moram fecerunt per Quadrageſimam. Ibidem etiam exiſtentes, procurauerunt Eccleſiam Pragenſem erigi in Metropolim, et eſt facta Archiepiſcopalis, quae prius fuerat filia Eccleſiae Maguntinae, vt in loco ſuo plenius dicitur. Inſuper procurauit *Karolus* confirmari collegium Manſionariorum in Eccleſia Pragenſi, quod nuper ipſe *Karolus* fundauerat et dotauerat ſufficienter. Vbi etiam ipſe Papa fecit vnionem,

et

— et concordiam inter Regem Boemiae, et *Karolum* filium ſuum, quia propter dilapidationem regni Boemiae, quam ipſe Rex propter diuerſas gwerras fecerat, non erant de ſe mutuo contenti.

Inſuper ibidem ipſis exiſtentibus, venerunt nuncii *Ludwici* Bauari, laborantes pro concordia inter Papam et ipſum *Ludwicum*, pro qua concordia facienda interpoſuerunt partes ſuas Rex Boemiae, et filius eius *Karolus* fideliter. Sed non profecerunt, quia *Ludwicus* ipſe, quamuis de contrario conſtaret, negauit ſe illos ex parte ſua ad Sedem Apoſtolicam hac de cauſa direxiſſe. Poſtmodum conueniens *Karolus* cum eodem *Ludwico* in Baſilea ſuper Reno, dixit eidem in praeſentia nunciorum eorundem: Ecce nuncii veſtri, quos ad Sedem Apoſtolicam, et ad nos transmiſiſtis, coram vobis ſunt in praeſentiarum. Si ergo legationes, quas apud Sedem Apoſtolicam, et nos ex parte veſtra peregerunt, de ſcitu et mandato veſtris proceſſerunt, dicite, et effectui mancipate. Sin autem, tunc legatos veſtros, qui fines mandati excedere praeſumpſerunt, proinde poena debita puniatis. *Ludwicus* vero, nihil ad haec pertinenter reſpondens, alium terminum in Bacoratum ſuper Reno praefixit coram Electoribus, et Principibus Alamaniae, vbi ſimiliter nihil terminavit, ſed in duritia ſua et rebellione vſque in finem vitae ſuae permanſit.

Deinde *Iohannes*, Rex Boemiae, et *Karolus*, filius eius, venientes Boemiam, celebrauerunt curiam ſolempnem in ciuitate Pragenſi ad honorem Dei et Patronorum Eccleſiae Pragenſis. Vbi Dominus *Arneſtus*, olim Epiſcopus, nunc vero Archiepiſcopus Pragenſis, recepit pallium et inſignia Archiepiſcopalia per manus Epiſcopi Wratiſlavienſis; cuius facti ſunt Suffraganei Epiſcopus Olomucenſis, et Epiſcopus Luthomiſlenſis, qui pridem

dem fuerat Abbas Ordinis Praemonſtratenſis. In eadem ſolempnitate *Iohannes* Rex Boemiae, *Karolus* Marchio Morauiae, et *Arneſtus* primus Archiepiſcopus Pragenſis, et *Iohannes*, filius *Iohannis* Regis, nuper expulſus de Tytolis, poſuerunt fundamentum et primarium lapidem nouae Eccleſiae Pragenſis, quae Deo auxiliante ſuccedente tempore de miro et magnifico opere extitit aedificata.

Eadem hyeme *Iohannes* Rex Boemiae, *Karolus* filius ſuus, nec non Rex Vngariae, Dux Borboniae, Burgrauius Norembergenſis, et multi alii Principes Alamaniae, zelo deuotionis inducti, tranſiuerunt verſus Pruſſiam cum gente maxima contra Litwanos, et inimicos crucis Chriſti. Cumque veniſſent trans fluuium Mimle ante caſtrum Wilawenſe, et Piſtenſe in terris infidelium, et ibi caſtra metari diſponerent, ſuperuenerunt noua, mendaciis et fallaciis plena, qualiter per aliam viam Pagani intraſſent terram Cruciferorum verſus Kunigesperk, et redeuntes per quatuor diaetas peruenerunt illuc, et inuenientes, quia ficta erant noua iſta, et vt redirent, tantummodo relata. Et quia illo tempore glacies diſrumpebantur, non patuit eis ingreſſus ad terras infidelium, et regreſſi ſunt vnusquisque ad propria in regionem ſuam.

Quamuis autem Rex *Iohannes*, et *Karolus*, filius ſuus, haberent literas *Kazimiri* Regis Poloniae de ſecuritate et conductu tranſeundi et redeundi per terras eiusdem, non tamen plene confiſi ſunt de eodem. Sed dum tranſituri eſſent per terras illius, in hoc conſilium ipſorum, vt ipſe filius praecederet, et Pater, videlicet Rex Boemiae, ipſum ſequeretur, et euentus filii doceret, Patrem ſibi cauere; quia non expediebat, vt ambo vno contextu intrarent manus Regis antedicti. Quid plura? Venit *Karolus* ad ciuitatem quandam Regis Polo-

Poloniae, et mox positae fuerunt illi insidiae, et ciuitas munita est hominibus armatis, ita, vt ipse euadere non posset aliqua ratione. Hoc cognoscens *Karolus*, misit nuncium ad Capitaneum Wratislauiensem, illi notificando insidias sibi praeparatas, qui congregata gente, venit secrete vsque prope ciuitatem, in qua *Karolus* fuerat arestatus, et per nuncium reintimauit eidem: Ecce assum cum gentibus prope locum in silua tali, ibi vestrum adventum praestolabor.

Cumque reueniisset idem nuncius, suscepit eum *Karolus* gratulanter, et cum aliter euadere manus insidiantium non posset, tale fecit condictum cum eodem nuncio, dicens: Nos procedemus pedes vsque ad portam ciuitatis, et loquemur aliqua cum hiis, qui custodiunt portam, deinde superuenies tu, et postquam pertransieris portam, clamabimus post te, quasi ex aliqua causa reuocando te. Tu vero descendes de equo et stabis, et nos curremus velocius, quia custodes portae, cum sint armati, non poterunt insequi nos, et sic Deo auxiliante euademus, teque cum alia familia nostra captiuabunt. Et factum est ita, vt Domino placuit: quia, postquam hora statuta veniisset *Karolus* ad portam ciuitatis confabulans cum custodibus, pertransiit nuncius exeundo. Qui audito clamore Principis substitit, et currens Princeps venit ad equum, quem ascendit, et fugit ad locum, vbi sciebat Capitaneum et gentem suam se expectare, et gens armata, quia grauis erat ad currendum, non potuit ipsum insequi. Et sic Deo auxiliante euasit manus insidiantium. Et perueniens Wratislauiam, quod factum fuerat, intimauit Patri suo, qui Deo Duce per aliam viam, siluas et nemora, transiit per terras inimicorum sanus et illaesus. Propterea cogitantes reddere Regi Poloniae talionem, congregauerunt eodem anno exercitum ma-

magnum, venerunt in terram *Bolkonis*, Ducis Swidnicenſis, qui erat ſororius Regis Poloniae, et deuaſtauerunt illi terram ſuam incendiis et rapinis. Finaliter aquiſiuerunt ciuitatem fortiſſimam eiusdem Ducis Landeshut, et dampna ſibi irrecuperabilia intulerunt.

Poſt haec eadem aeſtate de menſe Iulii, congregato iterato maximo exercitu, intrauerunt et deuaſtauerunt terras Regis Poloniae, et caſtra metati ſunt tribus diebus et tribus noctibus ante ciuitatem Crakouiam, cuius ſuburbia et molendina ſuccenderunt igni, et infinitos Vngaros, qui venerant ipſi Regi in auxilium, proſtrauerunt gladio. Alii fugientes ſubmerſi ſunt in flumine Wisla, vbi etiam factus eſt Miles, *Iohannes*, filius Regis Boemiae, Comes Tyrolis. Et obtento triumpho pro omni ſuo honore atque voluntate, reuerſi ſunt Principes noſtri cum gaudio ad terram ſuam, et amplius non appoſuit nocere eis Rex Poloniae omnibus temporibus vitae ſuae. De hiis expeditionibus duabus, et aliis quam plurimis actibus horum Principum tangitur et tractatur ſatis ſupra in locis ſuis.

Viſis igitur et breuiter pertractatis hiis, quae *Karolus* perpeſſus eſt, et quae fecit ab infantia ſua, et in annis iuuenilibus ante ſuam coronationem, quia ſcriptum eſt: Nemo coronabitur, niſi qui legitime certauerit, nunc proſequamur magnalia, quae fecit coronatus.

Sed antequam ad vlteriora procedam, rogo te, o Lector, vt mihi tam ſolempnem materiam rudi et inculto ſtilo ſcribenti non improperes. Nam Rhetoricae ſcientiam nunquam didici, et in Grammaticalibus parum ſtudui. Perpendi autem, quod multi literati viri aliis magis arduis praepediti, Cronicam Pragenſem in temporibus Regis

— *Ottakari* ſcribere obmiſerunt. Ne memoria eorum, quae medio contigerunt, omnino euaneſceret, ad ſcribendum me poſui ea, quae in diuerſis libellis reperi, et quae a Maioribus narrari audiui. Non quod omnia ſint vera, tanquam Euangelium, ſed crede credenda, et corrige corrigenda. Et ſi qua in praecedentibus vel ſequentibus ſcripſiſſem, forte ſiniſtre informatus, aut ex mea ignauia, quae eſſent contra honorem Principis, aut meorum Praelatorum, vel Patriae, aut certe quarumcunque perſonarum, cum ſcriptum ſit: Principem populi tui ne maledixeris, et iterum: Qui maledixerit Principi, morte moriatur, ex nunc habeo pro non dicto, et pro non ſcripto, immo reuoco, et paratus ſum emendare, et ſubicio me ipſum, et hanc ſcripturam meam, ſcriptam et ſcribendam, correctioni Domini mei Archiepiſcopi et Capituli Eccleſiae Pragenſis, quorum mandatis in hiis, et in omnibus aliis volo iugiter cum omni reuerentia obedire. Haec idcirco pro excuſatione mea ſcripſi, quia, ſicuti in multiloquio raro deeſt peccatum, ſic et in multis ſcripturis, maxime de actibus Principum, ad quorum conſilia pauperes non intromittuntur, difficile eſt non errare etc.

1346. Anno Domini MCCCXLVI. videns et conſiderans Dominus Papa, *Clemens* Sextus, quod *Ludwicus* Bauarus, occupator Imperii, poſt tantos exceſſus, quos contra Romanam Eccleſiam perpetrarat, noluit ad poenitentiam reuerti, ſed omnes proceſſus Sedis Apoſtolicae vilipendens, transiuit aure ſurda, aliis malum relinquens exemplum contra Eccleſiam rebellandi. Et cum iam dudum per certos proceſſus papales fuiſſet tamquam Saul reprobatus, et depoſitus ab Imperio, et Principes atque Vaſalli Imperii ab eius abſoluti

ti fidelitate, ne Romana Ecclesia diutius careret 1346.
suo Defensore atque Aduocato, mandauit Papa Electoribus sacri Imperii per literas bullatas, vt ad electionem futuri Regis Romanorum procederent, ad Imperium postmodum promouendi. Qui Electores, tamquam filii obedientiae, conuenientes ad locum, cui Renis vocabulum est, super insula Reni, vbi iste actus fieri est consuetus, inuocata Spiritus Sancti gratia, videlicet Maguntinus, Colonienſis et Treuerensis Archiepiscopi, nec non *Iohannes*, Rex Boemiae, et *Rudolfus*, Dux Saxoniae, absentibus per contumatiam aliis duobus Electoribus, videlicet Marchione Brandeburgensi, et Comite Palatino Reni, direxerunt vota sua in Sereniſſimum Principem, Dominum *Karolum*, Primogenitum Regis Boemiae, Marchionem Moraviae, et ipsum in Regem Romanorum, promovendum postea ad Imperium, canonice elegerunt in festo *y)* sanctae Margarethae.

Qui Princeps, licet allegaret suam insufficientiam, multum a principio electioni de se factae consentire recusaret, tamen postea victus supplicationibus Principum Electorum et aliorum, diuinae ordinationi contraire non praesumens, et praesertim propter Rempublicam, quae male gubernabatur, electioni factae de se suum praebuit consensum. Ita tamen, si, quod de ipso factum fuerat, Sedi Apostolicae placeret, cupiens non alivnde, aut tumido, prout suus praecessor fecerat, fastu, sed per hostium, scilicet Vicarium Iesu Christi, conscendere ad tantae apicem dignitatis.

Mox Principes Electores mittunt suos solempnes Ambasiatores, videlicet Venerabilem in Christo Patrem, Dominum *Arnestum*, sanctae Pragensis Ecclesiae Archiepiscopum primum, et magni-

y) *Festo* suppleuit alia manus, cum antea spatium vacuum relictum fuisset

1346. gnificum Principem, Dominum *Nicolaum*, Ducem Oppauiae et Ratiboriae, cum decreto electionis ad ſummum Pontificem in ciuitatem Auinionenſem, vbi tunc cum curia reſidebat. Qui venientes illuc a Papa et a Cardinalibus honorifice ſunt recepti. Dominus itaque *Arneſtus* iam dictus, cum eſſet magnae facundiae et literaturae, coram Domino Papa, et Collegio ſacro in publico Conſiſtorio fecit pulchrum et magiſtralem ſermonem, cuius thema fuit illud, quod in libro Regum ſcribitur: In te reſpiciunt oculi Iſrael, vt iudices, quis ſedeat ſuper ſolium. Et eundem ſermonem ad propoſitum et ad materiam noui Electi optime adduxit. Sed quia idem Archiepiſcopus in eodem themate hoc pronomen: *tuum*, non adiecerat, ideoque Dominus *Clemens* Papa VI. qui et ipſe Magiſter erat in ſacra pagina, die ſequenti congregato ſacro collegio, in praeſentia omnium Praelatorum, in publico Conſiſtorio, reſumpto eodem themate, addidit, quod in textu Bibliae continetur, ſcilicet: Quis ſedere debeat ſuper ſolium tuum, oſtendens, qualiter Imperium de Graecia per Sedem Apoſtolicam translatum fuit in Germanos, vnde merito dicere debuerat, ſuper ſolium *tuum*, quia Reges et Imperatores Romanorum tam de iure, quam de conſuetudine iurare debent Sedi Apoſtolicae reuerentiam, obedientiam et fidelitatem. Completo igitur ſermone eodem, Dominus Papa multum commendauit perſonam Domini *Karoli* in Regem Romanorum electi, et examinato, ſicut decuit, proceſſu et decreto electionis huiusmodi, ipſam electionem canonice, et de perſona idonea celebratam, de conſenſu Fratrum ſuorum approbauit authoritate Apoſtolica, et confirmauit. Dans ſuis literis praefatis Archiepiſcopis Electoribus in mandatis, vt ipſum Electum debeant inungere et coronare in Regem Romano-

manorum. Quibus literis receptis Ambaſiator, 1346.
Dominus *Arneſtus*, per Dominum Papam et Cardinales multum honoratus, ad Dominum *Karolum* Electum laetus reuertitur.

Hiis temporibus Rex Angliae, congregato maximo exercitu, terras Regis Franciae deuaſtare incepit, et caſtra ſua metatus eſt ante ciuitatem Pariſienſem hoſtiliter. Cui dum Rex Franciae reſiſtere non valeret, mittit nuncios et literas ad *Iohannem*, Regem Boemiae, et filium eius *Karolum* Electum, qui tunc in Luczemburga erant, petens cum fiducia, vt cum omni gente, quam congregare poſſent, ſibi venire curent in auxilium, quia neceſſitatis articulus id expoſcebat, et periculum erat in mora. Mox Rex Boemiae congregato magno pugnatorum exercitu, cum filio ſuo Electo procedunt in auxilium Regi Franciae. Quorum aduentum Rex Angliae audiens, cum gente ſua retroceſſit, et poſuit ſe in locis firmiſſimis inter aquas et ſiluas, ita, vt nullus ſibi poſſet quoquo modo nocere. Sed Rex *Iohannes*, et filius ipſius Electus, non contenti, quod hoſtes eorum a facie ipſorum fugiſſent, inſecuti ſunt eos, contradicente et reclamante Rege Franciae, vſque ad loca illa tutiſſima, et ordinauerunt acies ſuas, cum Anglicis bellum commiſſuri. Marſcalcus vero Franciae, et ſui videntes, quia Anglici ſe praeparabant ad reſiſtendum, terga verterunt, et turpiter fugam inierunt. Cumque fuiſſet Regi *Iohanni*, quia Francigenae fugiſſent, relatum, et ipſe praeſidio fugae ſuam et ſuorum vitam conſeruaret, exhortatus, reſpondit: Abſit, vt Rex Boemiae fugeret, ſed illuc me ducite, vbi maior ſtrepitus certaminis vigeret, Dominus ſit nobiſcum, nil timeamus, tantum filium meum diligenter cuſtodite. Cumque fuiſſet ductus in locum pugnae, ecce Rex *Iohannes* pluribus telis ſagittatus, mortem ſubiit,

1346. et multi Nobiles regni Boemiae cum eodem, in vigilia beati Rufi Martyris, XXVI. die Auguſti. Videntes autem alii Nobiles, quia Rex *Iobannes* cecidit in bello, et mortuus fuerat, ne vtroque orbarentur Principe, filium eius, Dominum *Karolum* Electum, de prope ibidem fortiter pugnantem, iam telis inimicorum ſauciatum, licet reitentem et inuitum, de praelio huiusmodi educunt, et ad locum ſecurum perducunt.

Finito praelio, vt agnouit Rex Angliae, quia Rex *Iobannes* cecidiſſet, fecit inueniri eius corpus, et eo inuento, cum planctu magno ſolempnes illi fecit funeris exequias, et remittens ipſum ad propria, ſuis aiebat: Hodie cecidit corona militiae, nunquam fuit ſimilis huic Regi Boemiae. Milites vero tollentes corpus regium, tulerunt illud et ſepeliuerunt in Luczemburga in Monaſterio ſanctae Mariae, Ordinis ſancti Benedicti. Sed et filius eius *Karolus* Electus, veniens illuc vulneratus, ſanitatem recuperabat, expectans nuncios ſuos a Sede Apoſtolica venturos.

Eodem anno, cum Venerabilis Pater, Dominus *Arneſtus*, Archiepiſcopus Pragenſis, de curia Romana reueniens, conſenſum et approbationem electionis praefatae attuliſſet, Reuerendi Patres, Domini Treuerenſis et Colonienſis Archiepiſcopi, iuxta mandatum Sedis Apoſtolicae venientes in Brúmam z) in Reno, Sereniſſimum Principem, Dominum *Karolum* praedictum, in Regem Romanorum vnxerunt, et cum ſolempnitate maxima coronauerunt die XXVI. menſis Nouembris, quae fuit dies ſanctae Katherinae, *Ludwico* Bauaro adhuc viuente, et totum Imperium occupante.

1347. Anno Domini MCCCXLVII. tempore hiemis Dominus *Karolus*, Romanorum Rex, volens vlciſci iniurias fratris ſui *Iobannis*, cui vxorem *Ludwicus*

z) Ita MS. Legendum autem *Bonnam*. abſtu-

ſtulit, et qui iniuſte de terra Tyrolis fuit expul- 1347.
, ingreſſus eſt propria in perſona cum paucis
niliaribus in forma mercatorum terram Tyro-
, et ſubito congregata ibi magna gentium mul-
udine, eandem terram vaſtauit ignis incendio,
eas eorum ſuccidit et deſtruxit, caſtra et caſtel-
plurima aquiſiuit. Sed cum plurima mala eis
uliſſet, non confiſus de ipſis abinde receſſit.

Eodem anno adoleſcens quidam, nomine *E-hardus*, filius *Eberhardi*, in monte Chutnis, rdidit vſum loquendi, et factus eſt mutus. Cum- e nullis poſſet adiuuari medicamentis, adduxe- nt illum amici Pragam ad tumbam ſancti Wen- slai, et oratione facta pro eo, qui mutus fue- , rehabuit ibidem vſum loquelae per merita et erceſſionem ſancti Wenceslai, Martyris glorioſi.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum x, de terra Tyrolis Pragam reuerſus, et cum ximo *a*) a Principibus ac Nobilibus et Praelatis roque et populo ſuſceptus, per Venerabilem minum *Arneſtum*, primum Archiepiſcopum agenſem, ipſe et ſua Coniunx, Domina *Blan-*, hic in Regem, haec in Reginam, ſuper re- um Boemiae feliciter atque ſolempniter coro- ntur, die Dominico ante feſtum Nativitatis bea- Mariae Virginis proximo. Et facta eſt domus uiii in ciuitate Pragenſi, in foro prope ſan- Gallum, et circumdata pannis et ſtaminibus iceis, et omnibus laute miniſtratum. Ipſo die nientes Barones regni Boemiae, ſinguli ſecun- m ſtatum ſuum officia ſua nouo Regi in dextra- coopertis exhibuerunt, et ad menſam, prout ris eſt, ſeruiuerunt. Et poſt triſtitiam, quam buerunt ex morte Regis *Iohannis*, facta eſt ex ronatione huiusmodi laetitia magna in populo. ronam autem, qua ipſe Rex coronatus eſt, do-

a) Addendum *gaudio*

1347. nauit ſancto Wenceslao, eius capiti in Eccleſia Pragenſi certis diebus imponendam, decernens, vt omnes Reges Boemiae ſui ſucceſſores eadem debeant corona coronari, et illa die coronationis ſuae duntaxat vti, atque ipſam die eadem ad notam in manus Sacriſtiae Pragenſis reſtituere cum effectu, ſub poena excommunicationis per Dominum Papam propter hanc cauſam latae. Item ſtatuit, et literis ſuis idem Rex firmauit, vt quilibet ſuorum ſucceſſorum, qui eadem corona erit ſucceſſuris temporibus coronandus, debeat ſoluere Capitulo Pragenſi ratione mutuationis dictae coronae CCC. ſexagenas in vtilitatem Eccleſiae et Capituli conuertendas.

Eodem anno ſequenti die poſt coronationem iam dictam, Rex *Karolus* fundauit nouum Monaſterium ante portam ſancti Galli, et poſuit in eo Fratres Carmelitas, et aedificia, quae facta fuerant pro regali conuiuio, eisdem largitus eſt, qui ex illis fecerunt ſibi Eccleſiam ligneam, et alia officiua ſuis vſibus neceſſaria.

Eodem anno die XI. menſis Octobris, Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, congregauit magnum exercitum, terras *Ludwici* Bauari inuaſurus. Et cum idem Rex eſſet cum gentibus ſuis in Thachouia conſtitutus, ecce Deo Altiſſimo diſponente, qui ſuperborum et rebellium colla propria calcat virtute, *Ludwicus* Bauarus occupator Imperii, inimicus Dei et ſanctae Romanae Eccleſiae, inueteratus dierum malorum, rediens de venatione in Monacum ciuitatem ſuam, de equo, cui inſidebat, ſubito cadens, fractis ceruicibus continuo expirauit. In breui tempore veniunt nuncii ad Regem *Karolum*, bona et optata noua nunciantes, quibus rumoribus Rex intellectis, ipſe et ſui laudem dederunt Deo, qui eos ab effuſione ſanguinis cuſtodire eſt dignatus.

Demum

Demum Rex *Karolus* cum ſua gente procedit 1347.
laetanter verſus ciuitatem Ratisponam, vbi tanquam Rex Romanorum ab vniuerſis, Clero et populo, cum gaudio et ſolempnitate ſuſcipitur; obedientia, fidelitas, et reuerentia promittuntur, et cuncta ſibi ſuccedunt ad votum. Abinde vero tranſiens venit cum maximo exercitu in Nurenberg, vbi ſimiliter magnifice ſuſcipitur, et per omnes ciues et mechanicos fidelitatis omagium praeſtatur. Sed quidam ex eis iuramenti immemores, Rege *Karolo* abinde recedente, ciuitatem ipſam tradunt in manus filii Bauari, videlicet *Ludwici*, Marchionis Brandeburgenſis, capitalis Domini *Karoli* inimici. Exiit ergo in prouerbium in vniuerſis ciuitatibus Imperii, quia ciues Nurembergenſes fidefragi facti ſunt. Nam et Regem Romanorum, cui fidem iurauerant, fefellerunt. Alii itaque ciues eiusdem ciuitatis, qui huiusmodi malitiae conſcii non fuerunt, dolentes ſincere de mala fama, quae de ciuitate illa orta fuerat, cupientesque illam recuperare, illos malos conciues ſuos fidefragos vna die omnes expulerunt, quorum L. vna die ſemel et ſimul per quemdam Nobilem fuerunt propterea ſuſpenſi. Alii quoque in ciuitate, et alibi capti diuerſis poenis pro tanto facinore cruciati. Alii etiam ciues, qui in ciuitate eadem remanſerunt, gratiam Regis *Karoli* promeruerunt, et reconciliatus eſt ciuitati eidem, quae digna fuit deſolatione et omni deuaſtatione. Cumque omnia ad nutum dirigerentur Domini Regis praedicti, remiſit gentes ſuas Boemiam, et ipſe circuibat ciuitates Imperii, recipiens ab eisdem, et Principibus Imperii fidelitatis omagia, et pacem in terris illis ſtudioſius procurabat.

1348. Anno Domini MCCCXLVIII. die beati Marci Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, posuit primarium lapidem, et fundauit Nouam Ciuitatem Pragensem, protendens murum fortissimum cum valuis et turribus altissimis a castro Wissegrad, vsque in Porziecz. Sed et ipsum montem Wissegrad cinxit muro et turribus fortissimis, et totum opus consummauit infra biennium. Et fecit plantare ortos atque vineas circum ciuitatem Pragensem, et propter ortos huiusmodi atque vineas huiusmodi auctus est populus vehementer; in breui tempore facta sunt multa aedificia. Fecit etiam aduehi de Austria vites nobilissimas, quas ibi, et sub castro Carlsteyn, quod eodem tempore aedificare inceperat, plantauit. Exstruxit etiam ipse Rex in diuersis locis piscinas plurimas, et regno multum proficuas. Hoc aduertentes Barones, Nobiles, Religiosi et Plebegii, plantauerunt vbique vineas, ortos, et exstruxerunt piscinas in Boemia, gratias agentes Altissimo, qui talem eis concessit Principem, sub cuius ditione omnia eis prosperabantur.

Eodem anno fundauit Monasterium Ordinis sancti Benedicti in eadem ciuitate Noua, et instituit in eo Fratres Sclauos, qui literis Sclauonicis Missas celebrarent, et horas psallerent.

Eodem anno in festo conuersionis sancti Pauli, factus est terrae motus magnus in toto orbe, et praecipue in montanis Karinthiae, vbi multae ciuitates, villae et castra ruerunt, et homines infiniti interierunt. Ibidem famosa ciuitas Willach, et omnes domus atque muri per terrae motum subuersi et diruti sunt, et pauci inhabitatores remanserunt. Talis atque tantus terrae motus in Cronicis non reperitur fuisse, sicut gentes inceperunt seculum inhabitare.

Eodem

Eodem anno in die ad vincula ſancti Petri 1348.
Regina *Blancza*, Coniunx Domini *Karoli*, moritur, et in Eccleſia Pragenſi ſepelitur.

Eodem anno die XVII. Ianuarii fuit eclipſis lunae, et coniunctio quorundam maliuolorum planetarum, ex quibus coniunctionibus et maiis conſtellationibus orta eſt inaudita epidimia ſeu peſtilentia hominum in vniuerſo mundo, et durauit tam in Boemia, quam in aliis mundi partibus per XIIII. annos proxime ſequentes, et iam ibi, iam illic in terris Chriſtianorum et Paganorum vbique. Nec erat alicubi refugium, quia ſicut in planis, ſic in montibus et ſiluis homines moriebantur. In omnibus locis fiebant foueae grandes, et plures ſingulis annis praedictis, in quibus morientium corpora ſepeliebantur. Talis peſtilentia, et ita longa nunquam fuit a ſeculo.

Eodem anno venerunt in Boemiam quidam peruerſi viri de Alamania, qui ſe ſe flagellabant in conſpectu hominum, et ſibi mutuo, videlicet Laicus Laico confitebantur peccata ſua, et poenitentias iniungebant, et praedicabant ad populum, et multos ſimplices decipiebant. Quorum errores Venerabilis Dominus, *Arneſtus*, primus Archiepiſcopus, cognoſcens, eos talia facere prohibuit et impediuit.

Eodem anno iniqui Principes *Ludwicus*, filius olim *Ludwici* Bauari, Marchio Brandeburgenſis, paternae malitiae imitator, et *Rudolfus*, Comes Palatinus Reni, Papalibus ſententiis irretiti, poſt obitum praefati *Ludwici* conuenientes ſimul, elegerunt vel nominauerunt de facto potius, quam de iure, *Guntherum*, Comitem de *Swartzburch*, in Regem Romanorum, qui in tantam audaciam prorumpere praeſumpſit, vt ſe Regem Romanorum ſcribere, et quasdam ciuitates Imperii ſibi ſubiugare non formidans, congregauit magnum exer-

1348. exercitum, castra sua metatus est inter ciuitatem Maguntinam, et ciuitatem Frankenfurd, et pluribus ibi diebus erectis banderiis seu vexillis Imperialibus commoratus est.

Interim congregauit Dominus *Karolus* exercitum de ciuitatibus Imperii, videlicet de Maguntina, Spira et Openhaim, licet multo minorem congregauit, et collocauit se in oppido, quod Alteuil dicitur, super Reno, ita prope contra exercitum Comitis de *Swarzburg*, vt fere se possent homines sagittare. Diuina itaque prouidentia volens suum Principem canonice electum pro republica, et multorum salute illaesum conseruare, tantum atque talem posuit ante oculos aduersariorum eius timorem et terrorem, vt dictus Comes de *Swarczburch*, licet multo maiorem haberet exercitum et fortiorem, tamen, diuina prouidente dextra, Dominum *Karolum* et suos non praesumpsit inuadere.

Tandem interuenientibus quibusdam placitis, *Guntherus* praedictus renuncians libere omni iuri suo, se subdidit gratiae Domini *Karoli*, et insignia Imperialia deposuit statim in eodem loco. Et paucis post hoc elapsis diebus, Deo disponente, migrauit de hoc seculo. Secundus aduersarius capitalis Domini *Karoli* praedicti.

Hic Rex *Karolus* tantam a Deo Omnipotente habuit gratiam, vt omnes eius inimici capitales, vt fuit *Ludwicus* Bauarus, iste Comes de *Swarczburg*, *Ludwicus* filius Bauari, Marchio Brandeburgensis, *Henricus*, Archiepiscopus Maguntinus, item Archiepiscopus Mediolanensis, et alii multi atque potentissimi Principes, absque omni effusione sanguinis, antequam eos dictus Rex aggrederetur, subito morerentur. Et completa est scriptura, quae dicit: Manus mea auxiliabitur ei, et alibi: Ero inimicus inimicis tuis, et custodiet te angelus meus.

Eo-

Eodem tempore Dominus *Karolus*, Romano- 1349.
rum et Boemiae Rex, duxit in Coniugem, *Annam*, filiam Comitis Palatini Reni praedicti, ex qua sequenti anno generauit filium primogenitum *Wenceslaum*. Sed anno secundo aetatis suae puer idem mortuus, in Ecclesia Pragensi sepultus est. Huic Reginae *Annae* pater eius, Comes Palatinus, dedit in dotalitium ciuitatem et districtum Sulczbach cum pluribus castris. Et Dominus *Karolus* hac nactus occasione emit ibi ciuitates munitas, et oppida plura, quae fecit cingi muris fortissimis, videlicet Bernaw, Nouam Ciuitatem, Herspercb, Herspruk et Lauffen, et totam terram illam comparauit et habuit, ac Coronae regni Boemiae perpetuis temporibus annexuit atque vniuit, a silua Boemicali vsque ad muros ciuitatis Nuremberg, Pebenberg, et aedificauit in terra Rotenberch, et multa alia firmissima castra pro regno Boemiae. Et quia huiusmodi castra, ciuitates, terramque Bauariae emendo, regnum suum naturale, Boemiam totam, in diuersis exactionibus multum aggrauauerat, quia toto tempore vitae suae de Imperio et ciuitatibus eius, quae fere omnes sunt liberae, parum vel nihil habuit, ideo in recompensam habuit ipse Dominus *Karolus* ab Electoribus sacri Imperii, qui vna cum ipso hoc literis patentibus roborauerunt, vt praefata terra Bauariae cum ciuitatibus, castris, munitionibus et toto dominio iure haereditario ad Coronam et regnum Boemiae immediate debeat perpetuis temporibus pertinere.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, zelo diuini amoris accensus, ac calore dilectionis proximi refertus, bonum reipublicae cupiens ampliare, et regnum suum Boemiae laudabiliter exaltare, impetrauit a Sede Apostolica priuilegia generalis studii in ciuitate Pragensi, et ipse Dominus auctoritate regia Boemica, multa vltra

haec

1348. haec conceſſit priuilegia ibidem ſtudentibus. Accerſiuit etiam de alienis partibus diuerſis plures in ſacra Theologia Magiſtros, in Iure canonico Doctores, et in ſingulis artibus expertes et eruditos, qui Eccleſiam Dei et proximos in ſcientiis et moribus aedificarent. Volens, vt ſtudium Pragenſe ad modum et conſuetudinem ſtudii Pariſienſis, in quo olim ipſe Rex in puerilibus conſtitutus annis ſtuduerat, in omnibus et per omnia dirigeretur et regeretur. Et vt legentes Magiſtri praedicti haberent certa ſolaria ſingulis annis perpetuis temporibus. Ipſe Rex primum, demum Dominus *Arneſtus* ſanctae Pragenſis Archiepiſcopus primus, et Capitulum eiusdem Eccleſiae, omnes quoque alii Praelati et collegia aliarum Eccleſiarum, nec non Monaſteria regni Boemiae contribuerunt ſatis magnam ſummam pecuniae, et reditus ac cenſus perpetuos ad ſanctum huiusmodi opus in certis locis emerunt, et bona eadem Archiepiſcopatui Pragenſi vnierunt, et Dominum Archiepiſcopum Pragenſem, et ſuos ſucceſſores, Cancellarium ſtudii Pragenſis fecerunt, et eſſe voluerunt. Et vt haec omnia inuiolabiliter perpetuis temporibus permanerent, Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, zelator et inſtaurator huiusmodi ſtudii, omnia priuilegia et libertates ſtudentibus conceſſas ſua bulla aurea confirmavit. Et factum eſt ſtudium tale in ciuitate Pragenſi, cui nunquam fuit ſimile in omnibus partibus Alamaniae, et veniebant illuc de alienis partibus, videlicet de Anglia, de Francia, de Lombardia, de Vngaria, de Polonia, et de ſingulis circumiacentibus terris ſtudentes, filii Nobilium et Principum, ac Praelati Eccleſiarum de diuerſis mundi partibus. Et facta eſt ciuitas Pragenſis ex ſtudio huiusmodi famoſa et celebris in terris alienis valde, et propter multitudinem ſcolarium tempora

in

in eadem aliquantulum cariora fuere, quia multitudo maxima eorum illuc confluebat. 1348.

Dominus vero *Karolus* videns, quod ſtudium huiusmodi notabiliter et laudabiliter augebatur, donauit ſcolaribus domos Iudaeorum, et inſtituit in eisdem collegium Magiſtrorum, qui ſingulis diebus actu legerent et diſputarent, quibus bibliothecam fecit, et libros pro ſtudio neceſſarios tribuit in habundantia, et hii Magiſtri vltra paſtum, quem recipiebant a ſtudentibus, habent certos annuos reditus, ditati ſufficienter.

Eodem anno in menſe Septembri ſurrexit fama in partibus Saxoniae, et vicinis terris, quod *Woldemarus*, Marchio Brandeburgenſis, qui ante triginta annos credebatur eſſe mortuus, non vere, ſed ficte fuiſſet tunc mortuus, et nunc eſſet reverſus ad ſuum dominium, et terram ſuam, tamquam ſibi debitam, reſtitui poſtulabat. Sed quia idem Vir, imo homunculus ſatis paruae, ſed groſſae ſtaturae, in omnibus membris ſuis aſſimilabatur *Woldemaro*, et informatus certa dabat interrogantibus ſigna, et indicia rerum praeteritarum. Vnde multi fuerunt decepti, hunc reputantes illum Marchionem, qui, vt dicitur, ante longa tempora fuerat mortuus. Sed et ciuitates terrae Brandeburgenſis, et fere omnes ſibi crediderunt, et ipſum in Dominum aſſumpſerunt. Demum cum idem Marchio terram illam per hunc modum fere totam recuperaſſet, reſiſtebant ſibi *Ludwicus* praedictus, in quantum potuit, et ciuitatem Frankenfurt ſuper Odera obtinuit cum illo diſtrictu. Tunc praedictus *Woldemarus* fictus, videns, quia illum abinde non potuit excludere, mittit legatos ſuos ad Dominum *Karolum*, Romanorum et Boemiae Regem, petens, vt cum ipſe ſit verus Herus illius terrae et Dominus, et maiores ipſum ciuitates receperunt, venire dignetur ſibi in auxilium, et

in

1348. in ſua iuſtitia cooperari. Quibus verbis, immo communi famae, quae per omnes terras volabat, Dominus Rex credens, et aeſtimans hunc eſſe illum verum *Woldemarum*, qui etiam in linea conſanguinitatis fuerat coniunctus, congregato exercitu, venit huic in auxilium cum gente magna. Et Poſtquam multas ciuitates illius Imperio ſubiugaſſet, applicuit ad ciuitatem Frankenfurd praedictam, in qua ſe *Ludwicus* recluſerat, et caſtra metatus eſt ibidem in obſidione ciuitatis per IX. dies, et irrecuperabilia dampna intulit *Ludwico*, in vltionem fratris ſui *Iohannis*, qui etiam ibidem in obſidione erat cum magna gente, cui, vt ſupra dicitur, ipſe *Ludwicus* vxorem propriam, et terram Tyrolis fraudulenter abſtulerat, et reddidit illi talionem.

In eodem loco, in monte vno prope ciuitatem, facta eſt ſtructura alta de lignis, et thronus regius amictus purpura, et pannis pretioſis circumdatus, et ſedente Domino *Karolo* in Maieſtate ſua, venerunt omnes Principes illarum terrarum, Eccleſiaſtici et Seculares, cum ſuis panderiis extenſis faciebant omagia et iuramenta fidelitatis Regi Romanorum, *Ludwico* exiſtente in ciuitate, et per muros ciuitatis aſpiciente. Non paruam enim habuit melancoliam, cum videret aduerſarium ſuum cum virtute et potentia magna, cui reſiſtere non poterat. Et quando cernebat nouum *Woldemarum* de terra ſua inueſtiri, poterat tunc cor eius prae doloribus digne ſcindi.

Poſtquam vero iſte *Woldemarus* fere totam terram per auxilium Domini noſtri recuperaſſet, quia hyemps inſtabat, reuerſus eſt Dominus noſter cum gente ſua, et fratre ſuo Boemiam, et *Woldemarus* ille, licet aliquas ex ciuitatibus poſtea perdiderit, in aliis tamen ciuitatibus potioribus regnauit, et habitus eſt pro vero et naturali Princi-

pe

pe vſque ad diem mortis ſuae, et vixit poſt fere X. annis, et mortuus eſt in principatu, licet communis eſſet de ipſo opinio, quod iſte non eſſet ille verus et antiquus *Woldemarus*, et creditur, quod fuit truffa excogitata contra nequitiam *Ludewici* praefati, quia ſic ars deluditur arte. *Ludewicus* vero ipſe, cum ſua gens hanc gratiam ad ipſum non haberet, eundem Marchionatum Brandeburgenſem contulit *Ottoni*, fratri ſuo minori, et amplius illuc non rediit. 1348.

Eodem anno de menſe Iulii fuerunt validiſſimi venti, qui multa aedificia in multis locis deiecerunt.

Anno Domini MCCCXLIX. venit Pragam ad Dominum *Karolum* Regem quidam vir de vrbe Romana magnae literaturae, et egregius dictator, aſſerens ſe nuncium a Deo miſſum pro re publica, et multa praedicens futura. Fuerat autem iſte vir ante iſta tempora Romae Tribunus, et valde potens, potenter pro tempore rem gubernans publicam. Qui in tantam praeſumptionem proruperat, vt *Ludwicum* tunc viuentem, qui occupabat Imperium, et poſtea Dominum *Karolum*, Regem Romanorum, ſuis literis ad curiam citaret et vocaret. Vnde ſcribebat ſe in ſuis literis: *Nicolaus* Tribunus, Seuerus et Clemens, Candidatus, Miles Spiritus Sancti. Dicebat etiam ſe eſſe pluribus coronis coronatum, Finaliter cum multa erronea, et ſibimet contraria coram Domino Rege, et Domino *Arneſto* Archiepiſcopo, et caeteris Praelatis propoſuiſſet, inuentus eſt errare in fide, et traditus eſt carceribus in Rudnicz. In quibus cum aliquamdiu teneretur, ecce! venit litera Epiſcopi Spoletani, et Apoſtolicae Sedis Legati, in qua, ratione contumaciae ipſe Tribunus in negotio fidei citatus, pro haeretico condempnabatur. Haec audiens Dominus 1349.

1349. *Karolus*, dictum Tribunum ad Sedem Apoſtolicam remiſit. Qui quidem Tribunus per Papam miſſus Romam in quadam ſeditione a populo occiſus eſt.

Eodem anno in die Palmarum reliquiae et ſanctuaria Imperii, videlicet magna pars de ligno ſanctae Crucis; item lancea Domini; item vnus clauus; item corona ſancti Caroli; item gladius eidem contra Paganos per angelum miſſus; item brachium ſanctae Annae, et alia, quae Imperatores ſoliti ſunt habere, portata ſunt Pragam de Bauaria, et proceſſionaliter recepta cum magna ſolempnitate in Wiſſegrado, et ducta ad Eccleſiam Pragenſem. Vnde dictus *Karolus*, accenſus ſpeciali deuotione, obtinuit a Sede Apoſtolica, vt ſpecialis dies pro veneratione illarum in Boemiae et Alamaniae partibus deputaretur, et ſolempniter ſub ſpeciali officio, quod idem Dominus *Karolus* cum aliis Theologis expoſuit, celebraretur ſingulis annis perpetuis temporibus VI. feria poſt Dominicam Quaſimodo geniti proxima. Et Dominus Papa, ad inſtantiam Domini Regis praedicti, omnibus Pragam ad dictam ſolempnitatem, et earundem reliquiarum oſtenſionem venientibus, largitus eſt magnas indulgentias, quae in bullis ipſius euidentius continentur. Et reuera hiis temporibus, quando huiusmodi inſignia in dicta ſolempnitate oſtendebantur, conueniebat Pragam de omnibus mundi partibus tanta multitudo hominum, quod nullus crederet, niſi qui oculis ſuis videret. Propter hunc maximum concurſum factum eſt et poſitum ſecundum annale forum eo tempore in Noua ciuitate Pragenſi.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, Marchionatum Morauiae contulit fratri ſuo germano, *Iohanni*, olim de Tyrolis expulſo, qui ſequenti anno duxit in Coniugem, praeuia diſpenſatione Sedis Apoſtolicae, *Margaretham*,

retham, filiam *Nicolai*, Ducis Oppauiae, ex qua genuit tres filios: *Iodocum*, *Iohannem*, qui cognominatus eſt *Sobieslaw*, et *Procopium*. Item duas filias, *Katherinam*, quam copulauit Duci de Falkenberch, et *Elizabeth*, quam copulauit poſtea Marchioni Miſnenſi. Et deletum eſt opprobrium eius, et mentiti ſunt, qui dicebant ipſum eſſe impotentem ad generandum, cum eo tempore ipſe Princeps eſſet puer, et totus iuuenis, vnde ſine cauſa vxore et terra priuatus. Nec defuit diuina vltio, quae facit iudicium et iuſtitiam, reddens vnicuique iuxta opera ſua, quia omnes, qui dederunt et conſilium et auxilium ad huiusmodi malam fraudem: *Ludwicus* Bauarus, *Ludwicus* filius eius moechus, et omnes Barones illius terrae, traditores Domini ſui proprii, mala morte poſt hoc in breui mortui ſunt, et filii eorum ſunt opprobrium vicinis ſuis. 1349.

Anno Domini MCCCL. Iſte fuit annus gratiae et iubilaeus in vrbe Romana, vnde per totum hunc annum fuit maximus concurſus illuc hominum ex omnibus mundi partibus prò gratia et indulgentiis obtinendis. Et quia peſtilentia erat grauiſſima in omnibus terris, omnes volentes poenitere, et mortem effugere, illuc properabant. Multi eundo et redeundo, et ibi morando mortui ſunt. 1350.

Sed vnum compellor ſcribere, quod in rei veritate ſic ſe habet, quia hii, qui colligunt hoſpites et artifices, mechanici, non ſolum Boemi, ſed et aliarum terrarum de huiusmodi peregrinatione reuerſi, inceperunt facere cariſtiam omnium victualium et neceſſariorum, et ſic ab eo tempore venit in conſuetudinem, quod omnia humanis vſibus neceſſaria ſunt in caro foro vbique locorum.

1351. Anno Domini MCCCLI. Virgo quaedam de Zitauia, propter nimium dolorem oculorum excoecata pluribus annis, adducta eſt Pragam ad limina ſancti Wenceslai. Cumque cum ſuis collegis adhuc eſſet in hoſpitio, deuote ingemuit et orauit, dicens: O beate Wenceslae, glorioſe noſter Patrone, qui es pauperum adiutor, et oppreſſorum releuator, adiuua me, vt ſine ductore ad tuum peruenian ſepulchrum. Et mox aperti ſunt eius oculi, et veniens ad ſepulchrum cum ſuis collegis, reddentes Deo et ſancto Wenceslao pro tanto beneficio gratiarum actiones.

Eodem anno vir quidam manibus et pedibus contractus, adductus eſt ad ſepulchrum beati Wenceslai, et poſt preces ac gemitus plurimos ſanitatem aſſecutus eſt ibidem protinus, quam optabat, gratias agens Deo et ſancto Wenceslao.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, Boleslauiam antiquam ſuper Albeam muniuit muris fortiſſimis, et quia in eodem loco glorioſus Martyr, ſanctus Wenceslaus, a fratre ſuo, ſaeuo *Boleslao*, coronatus eſt martyrio, ob cuius paſſionis memoriam Dominus Rex praedictus ibidem ordinauit et dotauit Miſſam cantandam ad tumbam ſancti Viri ſub crypta perpetuis temporibus ſingulis diebus. Quam ordinationem et diſpoſitionem dicti Regis Dominus *Arneſtus*, primus Archiepiſcopus Pragenſis, auctoriſauit, et ſuis literis patentibus approbauit. Item fere circa idem tempus ipſe Dominus *Karolus* fundauit Monaſterium Fratrum Carmelitarum in Tachowia dioceſis Pragenſis.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, fundauit Monaſterium ſub titulo ſancti Karoli in monte ex oppoſito Wiſſegradi, et inſtituit ibi Abbatem infulatum, et Canonicos regulares, Ordinis ſancti Auguſtini, quibus de ſuſten-

ſtentatione congrua laute prouidit, et Eccleſias 1451.
duas ſub caſtro Bezdez, et in Liſſa vniuit et incorporauit.

Eodem die, in die Innocentum, *Wenceslaus*, puer duorum annorum, Primogenitus Domini *Karoli*, quem genuit ex Domina *Anna*, filia Comitis Palatini Reni, migrauit ab hoc ſeculo, et in ſepulchro Patris ſui ſepelitur.

Eodem anno deſcendit ignis de coelo, et ciuitatem Ankonam totaliter conſumpſit, vt referebatur.

Anno Domini MCCCLII. Dominus *Karolus* 1352.
contra Barones regni ſui, videlicet filios olim *Petri* de *Roſenberch*, et *Iohannem* de *Michelsberch*, mouit exercitum, et multa eis dampna intulit, qui reuerſi ad cor, gratiae eius ſe ſubdiderunt, et ſibi reconciliati ſunt.

Eodem anno venerunt de Tuſcia, et de Lombardia ſolempnes nuncii, petentes eius aduentum ad partes illas, quia per quosdam malignos homines, qui de diuerſis mundi partibus congregati, fecerant ſocietatem, et monaſteria ac ciuitates potenter expugnabant et deuaſtabant, nimium gravabantur. Qui nuncii congruo accepto reſponſo, ad propria laetanter redierunt.

Et nota, quod hiis temporibus in regnis Franciae, Lombardiae, Apuliae, et terris adiacentibus fuerint plures huiusmodi ſocietates, in tanta multitudine et fortitudine, quod per nullum Regem, neque Principem ſuperari poterant, et perduraverunt multis annis iam hic, iam illuc girando, et dampna infinita hominibus inferendo, ita, vt ſpecialis plaga, et Dei propter peccata populi permiſſio crederetur.

Eodem anno Domina *Anna*, filia Comitis Palatini de Reno, Coniunx Domini *Karoli*, in vi-

1352. gilia Purificationis beatae Virginis moritur, et in Eccleſia Pragenſi ſepelitur.

Eodem anno Dominus *Iohannes*, Praepoſitus Omnium Sanctorum, Secretarius Domini *Karoli*, electus Olomucenſis, per Dominum *Arneſtum*, Archiepiſcopum Pragenſem, in Eccleſia Pragenſi in Olomucenſem Epiſcopum conſecratur.

Eodem anno Dominus *Clemens* Papa VI. in die ſancti Nicolai moritur, et Dominus *Stephanus*, Poenitentiarius ſummus, in Papam eligitur, cui nomen *Innocentius* Papa VI. imponitur.

Eodem anno fuit eclipſis lunae, quam ſubſequitur ſiccitas, et blada male proueniunt etc.

1353. Anno Domini MCCCLIII. Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, intrauit Monaſterium Monialium Ordinis ſanctae Clarae, ad ſanctum Franciſcum in ciuitate Pragenſi, et inter alias Sanctorum reliquias fuit ſibi oblatus digitus ſancti Nicolai, quem Papa donauerat *Agneti*, filiae Regis *Wenceslai*; Fundatoris illius Monaſterii. Et Rex *Karolus* arrepto cultello, praecidit particulam eiusdem digiti, cupiens ſibi ex deuotione illam retinere. Et reſpiciens cultellum, vidit in illo quaſi veſtigia ſanguinis recentis, et perterritus valde de tanto miraculo, cum res eſſet antiqua et inueterata, abiit. Poſt plures vero dies aſſumpto ſecum Domino *Arneſto*, Archiepiſcopo Pragenſi, illuc rediit, et particulam abſciſſam in locum ſuum cum timore et reuerentia appoſuit, quae ita fortiter adhaeſit, acſi nunquam fuiſſet abſciſſa. Verum cicatrix modica ex inciſione praedicta in digito illo remanſit.

Eodem anno *Rudolfus*, Dux Auſtriae, celebrauit nuptias cum *Katherina*, filia Domini *Karoli*. Sed Gener iſte nunquam fuit fidelis Socero ſuo, vſque in diem mortis ſuae.

Eo-

Eodem anno Dominus *Karolus*, pergens in Vngariam, ibidem duxit in Coniugem virginem *Annam*, filiam olim *Bernhardi*, Ducis Swidnicenſis, filiam vnicam, haeredem illius Ducatus et terrarum Sleziae, et tractatum eſt et ordinatum, atque iuratum, quod Duce *Bolkone*, fratre dicti *Bernhardi*, atque Patruo huius Reginae, ſine haeredibus de hoc ſeculo migrante, terrae omnes ſuae et Ducatus eiusdem pleno iure debeant ad Coronam regni Boemiae pertinere. 1353.

Anno Domini MCCCLIIII. Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, fundauit Monaſterium ſub titulo ſancti Ambroſii in Noua Ciuitate Pragenſi, et poſuit in eo Abbatem infulatum, et Conuentum Monachorum Ordinis ſancti Benedicti, quibus prouidit de bonis et reditibus ſufficienter. Obtinuit autem a Sede Apoſtolica, vt ipſius Monaſterii Abbas, et Fratres, tenere debeant et habere officium Miſſae, et aliarum horarum ad modum et conſuetudinem Eccleſiae Mediolanenſis, ſecundum rubricam et ritum ſancti Ambroſii. 1354.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, mirae deuotionis affectibus ſuccenſus, in diuerſis Eccleſiis Kathedralibus, Regularibus, Monaſteriis et aliis piis locis in partibus Galliae et Alamaniae obtinuit multorum Sanctorum diuerſas reliquias, et ſeptem corpora Sanctorum, et capita atque brachia Sanctorum multa valde, et illas ornauit auro, argento et gemmis pretioſis vltra, quam exprimi poteſt, et donauit Eccleſiae Pragenſi. Facta eſt autem allatio earundem ad Eccleſiam Pragenſem in Octaua ſancti Stephani Protomartyris. Quapropter Venerabilis Pater, Dominus *Arneſtus*, Archiepiſcopus Pragenſis, de conſenſu Cleri et populi ſui conſtituit diem illam per totam dioceſim Pragenſem fore celebrem,

1354. brem, et ſub duplici officio venerari. Poſt haec Dominus *Karolus* obtinuit ſpeciales et magnas Indulgentias a Sede Apoſtolica eadem die Eccleſiam Pragenſem viſitantibus, et feſtum huiusmodi bullis Papalibus confirmauit. Numerus autem et tituli reliquiarum, et aliorum clenodiorum, quae ipſe Dominus *Karolus* contulit Pragenſi Eccleſiae, ſcripti ſunt in regiſtro, ſeu inuentario ipſius Eccleſiae lucide et nominatim.

Eodem anno Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, intrauit Italiam de menſe Octobri, et continuauit ibidem et in partibus illis per IX. menſes, vt infra patebit, diſponens et ordinans negotia Imperii.

1355. Anno Domini MCCCLV. in feſto Epiphaniae Domini, Dominus *Karolus*, Romanorum et Boemiae Rex, Corona ferrea, qua Reges Italiae coronari ſunt conſueti, coronatus eſt per Dominum Archiepiſcopum Mediolanenſem, in ciuitate Mediolanenſi, in Monaſterio ſancti Ambroſii cum maxima ſolempnitate. Et permanſit ibidem diebus octo magnifice honoratus. Abinde verſus ciuitatem Piſanam, in qua continuauit vſque feſtum Paſchae, praeſtolans aduentum Legati de latere a Sede Apoſtolica pro ſua in vrbe coronatione. Cumque tranſiret de Mediolano verſus ciuitatem Piſanam, et veniſſet ad montes Alpium, in quodam oppido, cui nomen eſt Tarenz, fundauit et dotauit Monaſterium, et inſtituit in eodem Praepoſitum et Canonicos regulares Ordinis ſancti Auguſtini in dioceſi Cremonenſi, et ſui Capituli.

Eodem anno Feria quarta ante feſtum Paſchae Dominus *Karolus* ſane attendens illud, quod in Euangelio dicitur: Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur, ingreſſus eſt ciuitatem Romanam in forma peregrini humiliter ac pedeſter, et licet Romanĩ

mani ſibi veniſſent cum maxima ſolempnitate ob- 1355.
viam, ipſe tamen gloriam mundi ſpernens, intrauit ſanctam ciuitatem occulte, et per triduum circuiuit omnia Sanctorum limina ſecrete cum magna deuotione, et ſui proprii ipſum non cognouerunt. Demum die Sabbati in vigilia Paſchae hora veſperorum Clementiſſimus Princeps apparuit omnibus in Aula Domini Papae prope Eccleſiam ſancti Petri, et manifeſtauit ſe et ſuam praeſentiam vniuerſis, diſponens atque ordinans, qualiter die craſtina deberet coronationis ſuae ſolempnitas adaptari. Sequenti die, quae fuit in menſe Aprilis in ſancto feſto Paſchae, ſummo mane, Dominus *Karolus* exiuit ad campos extra vrbem, et illuc venerunt ad eum Romani, et gentium ſuarum de omnibus partibus mundi praemaxima multitudo, omnes ſedentes in dextrariis, induti armis, galeas criſticas habentes in catenis, parati tamquam ad bellandum, ſeruitiorum ſuorum exhibent promptitudinem.

Demum Princeps mundi ſtipatus magna gentium multitudine, hora tertiarum eiusdem diei, vrbem cum potentia ac magnificentia ingreditur, plures ac infinitos baltheis praecingit Militaribus, et in gradibus ante Eccleſiam ſancti Petri per Dominum *Petrum*, Cardinalem Hoſtienſem, Legatum a latere Domini Papae miſſum, ac omnem Clerum Romanae vrbis, cum pſalmodiis, cantibus, organis et reliquiis Sanctorum, proceſſionaliter laetus atque omni ſolempnitate ſuſcipitur, ad Eccleſiam introducitur, et praeuia benedictione et ſolempnitatibus conſuetis infra Miſſarum ſolempnia, per eundem Cardinalem inungitur, et in Imperatorem ſuper vniuerſum orbem terrarum coronatur, vna cum ſua Coniuge, Domina *Anna*, filia olim Ducis Swidnicenſis ſupradicta. Immenſa laetitia et gaudium inenarrabile perfudit tunc

1355. omnem gentem Boemorum, qui videbant Regem ſuum in excelſo throno, et Imperiali Infula coronatum. Cuncti clamabant: Kyrie eleyſon, et reſonant Te Deum laudamus.

Finita Miſſa et coronatione glorioſus Princeps, Dominus *Karolus* Quartus, diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, et Boemiae Rex, cum Coniuge ſua Domina Imperatrice iam dicta, aſcenſis equis falleratis, praecedentibus ac ſequentibus turbis Principum ac Nobilium, et vniuerſi tenentes galeas in capitibus, et gladiis in manibus ad praelium parati, cum ingenti gaudio et iocunditate abſque omni impedimento tranſeunt pontem ſub caſtro Angeli trans Tyberim, et perueniunt ad Eccleſiam ſancti Iohannis in Laterano, vbi nouus Imperator in Maieſtate Imperiali ſedit ad tabulam, et venientes Principes Imperii, qui in ſuo officio in dextrariis coopertis ad menſam miniſtrabant. Finito ſolempniſſimo huiusmodi prandio, Dominus Imperator, prout moris eſt, cum toto exercitu ſuo exiuit de vrbe, et caſtra metatus eſt in Monaſterio ipſe perſonaliter, et gentes ſuae extra Monaſterium ſancti Laurentii prope vrbem, et diſpoſitis ibidem negotiis Imperialibus, die altera ad ciuitatem Tyberim profectus eſt, et abinde verſus ciuitatem Piſanam direxit greſſus ſuos. Fuerunt autem in iſta via et ſolempnitate cum Domino Imperatore fideles ſui de Boemia, qui habuerunt vexilla ſeu banderia. Primo Venerabiles et Reuerendi Patres, Dominus *Nicolaus*, Patriarcha Aquilegenſis, filius quondam *Iohannis*, Regis Boemiae a latere, fraterque Domini Imperatoris. Item Dominus *Arneſtus*, ſanctae Pragenſis Eccleſiae primus Archiepiſcopus. Item Dominus *Iohannes*, Epiſcopus Olomucenſis. Item Dominus *Iohannes*, Epiſcopus Luthomiſlenſis, Cancellarius Aulae Imperialis.

Item

Item *Czenko* de *Lypa*. Item *Peſco* de *Ianowitz*. 1355.
Item *Henricus* de *Noua Domo*. Item Dominus *Marquardus*, Epiſcopus Auguſtinenſis. Item Purgrauius de *Noremberg*. Item Duces et Principes, ac Comites multi de Alamania, et exercitus eorum magni, qui numerari non poterant, quibus omnibus Dominus Imperator in eundo et redevndo de ſtipendiis prouidebat.

Hiis itaque ſe habentibus, et dum Caeſari nouo omnia ad vota ſua ſuccederent, inimicus humani generis eius felicibus actibus inuidens, per prauos homines procurauit non modicum diſturbium. Veniunt itaque quidam tyranni, fraude diabolica pleni, et in omni malitia experti: *Franciſcus* de *Gambacurta*, fratres quoque et amici ſui, ciues Piſani, immo cohaeredes inferni, et ſuggeſſerunt Domino Imperatori, vt exercitum ſuae gentis dirigeret ad propria, et veniret ad civitatem Piſanam cum modica gente, quia omnia eſſent ad nutum ipſius. Dominus vero Imperator eorum et aliorum malo ductus, immo deceptus conſilio, volens parcere expenſis, vt aliorum marſupia eo amplius replerentur, fecit et mandavit, vt omnes et ſinguli, praeterquam illi, qui Curiae ſuae et ſtipendiis aſcripti fuerant, rediret ad propria ſine mora et excuſatione; et factum eſt ita, et abiit quisque ad viam ſuam. Et venit Imperator ad ciuitatem Piſanam cum paucis, plus credens illis, quam expediebat. Et vna dierum, cum Imperator crederet ſe plena ſecuritate gaudere, iaceret cum Domina Imperatrice in Praetorio ciuitatis, iniqui homines loci illius, captata opportunitate, ſuccenderunt igni Praetorium, et Imperator cum Imperatrice, atque familia ad domum cuiusdam boni viri fere nudi vix euaſerunt, et vitam incolumem conſeruauerunt. Hoc facto praefati tyranni ſuggeſſerunt populo, quod

Impe-

1855. Imperator ideo ſuccenderit Praetorium, vt arma ciuium igne conſumerentur, et non haberent poſſe reſiſtendi ſuis inimicis Florentinis, quibus, vt falſe dicebant, promiſerat dare ciuitatem Lukam, et alia quaedam caſtella. Et conuerterunt hii impii corda totius populi, vt odirent capitali odio Dominum Imperatorem. Et in ipſius necem conſpirationem fecerunt omnes, pariter magni et parui. Et captata hora opportuna, dum Imperator ſuique in meridie ſine armis hinc inde incederent, nullam curam de futuris contingentibus habentes, ecce! *Franciſcus* praefatus cum ſuis amicis et tota communitate concitauerunt rumorem et clamorem in medio ciuitatis, clamantes: Viuat populus, moriatur Imperator.

Eadem hora erat Imperator in domo et hoſpitio Domini *Iohannis*, Epiſcopi Olomucenſis, et audito rumore, ſubito congregata gente, quam habere potuit, induti armis praeparant ſe ad reſiſtendum, et veniunt eis in auxilium illi, qui ex alia parte pontis fuerant, videlicet Dominus Epiſcopus Auguſtinenſis cum ſtipendiariis, et *Henricus* de *Noua Domo*. Et poſt multos conflictus, quos habuerunt in pontibus, in quibus plures fuerunt interfecti, peruenerunt ad Dominum Imperatorem, et ſimul cum ipſo procedunt armata manu ad placzam, ſiue planiciem in medio ciuitatis, et videntes tyranni et populus fortitudinem Caeſaream, et gentis ſuae audaciam, diſperſi ſunt, et fugerunt, recludentes ſe in domibus ſuis. Sed multi et infiniti ex eis ibidem in praelio mortui ſunt. Et proditores illi, *Franciſcus*, cum aliis ſex, qui illius rumoris magiſtri fuerant et armiductores, capti ſunt, et obtinuit victoriam Imperator.

Demum

Demum praedicti proditores positi ad tor- 1355.
menta, de omnibus proditionibus suis, et quomodo illas comportauerant, et ad quem finem fecerunt, confessi sunt. Quos Dominus Imperator in medio ciuitatis fecit truncare capitibus. Et exiit prouerbium in Tuscia et Lombardia, quia ciues Pisani, qui semper fuerant Giblini et de parte Imperii, facti sunt Gelfi, et sacri Imperii proditores seu traditores.

Deinde Dominus Imperator transtulit se in ciuitatem, quae dicitur Petra sancta, et ibi dispositis negotiis Imperii, abinde reuersus est cum omni triumpho victoriae Alamaniam, et deinde Boemiam, ad dulce solum natalis Patriae, et ingressus ciuitatem Pragensem cum gaudio et omni solempnitate a Clero et populo susceptus est.

Eodem anno, dum Imperator in ciuitate Mediolanensi moram traheret, misit ad ciuitatem Papiam solempnes nuncios, inter quos erat Dominus *Bobussius*, Praepositus Lutomericensis, frater germanus Domini *Arnesti*, Archiepiscopi Pragensis, et obtinuit sibi dari corpus sancti Viti Martyris, Patroni regni Boemiae, quod ibidem in Monasterio sancti Augustini multis annis quieuit, et attulit secum illud idem corpus sancti Viti, et aliorum Sanctorum plura corpora atque reliquias ad Ecclesiam Pragensem, quae et quas decorauit auro et argento, atque gemmis pretiosis.

Eodem anno Dominus Imperator fundauit Monasterium nouum sanctae Katherinae Virginis in noua ciuitate Pragensi, et locauit in eodem sanctimoniales foeminas de Ordine sancti Augustini Fratrum Heremitarum.

Anno Domini MCCCLVI. Dominus *Karolus*, 1356.
Romanorum Imperator et Boemiae Rex, considerans, quia in regno suo Boemiae multa committeban-

1356. bantur latrocinia, et malorum hominum, quorum magna excreuerat multitudo, delicta remanebant impunita. Volens tantis malis occurrere, congregato magno concilio Principum, Baronum, Nobilium, Wladikonum et Ciuium ad regni Boemiae Coronam pertinentium, de ipsorum communi consilio et consensu statuit, et lege perpetuis temporibus seruanda sanciuit, et vt verbis vulgaribus vtamur, pro iure adinuenit, vt si quis Baronum, Nobilium, Wladikonum vel ciuium, vel alia quaecunque persona laicalis, cuiuscunque status vel praeeminentiae existat, pro crimine furti, latrocinii seu rapinae accusata, proscripta vel condempnata fuerit, et se de huiusmodi crimine secundum ius terrae infra terminum sibi statutum expurgare non posset, aut si eiusmodi sui excessus sunt notorii, vel manifesti, quod deinceps eadem persona perpetuo sit infamis, careatque omni iure, et ad nullos actus legitimos vel honorificos admittatur, tam in iudiciis, quam extra vbicunque locorum, non obstante si ipse Imperator, vel sui haeredes aut succeſſores, Reges Boemiae, tali dampnato, proscripto, accusato vel bannito darent veniam de commissis vel gratiam, etiam sub quacunque forma verborum vel literarum, quia talis gratia seu restitutio erit ciuiliter intelligenda. Item videlicet, quod idem sic restitutus, seu reformatus gratiae regiae, mortem temporalem, quam propter mala sua promeruit, ex indulgentia Principis non patiatur. Sed tamen hiis, quibus dampna intulerit, satisfaciat iuxta suae possibilitatis facultates. Et quamuis omnia restituerit, nihilominus tamen infamis remaneat, et omni iure atque honore careat toto tempore vitae suae. Concordant sacrae leges et canones, quae dicunt, quod non potest facere Iudex, quin condempnatum furti sequatur infamia, et iterum: Licet animas per poeni-

poenitentias ſaluare poſſimus, infamiam tamen abolere non poſſumus. Quo ſtatuto audito et ſolempniter promulgato, multi ceſſarunt, et alios ceſſare fecerunt a rapinis, et huiusmodi malis actibus. 1356.

Statutum eſt etiam in eodem concilio, vt pauperibus, quibus hactenus modica vel nulla iuſtitia in terrae iudicio reddebatur, erga diuites, et quoscunque Barones, fieret debita iuſtitia, et iuſtitiae executio conueniens. Et factum eſt ita, vt, quicunque potentes Barones et Nobiles forent ad iudicium terrae ad inſtantiam pauperum citati, veniebant, et iudicio parebant cum effectu.

Eodem tempore Dominus *Karolus* Imperator, iuſtitiae et pacis amator, quia frequentius praeſidebat propria in perſona iudiciis, concitatus clamore pauperum, furorem indignationis ſuae axacuit contra fures et latrones, et praecipue contra eos, qui huiusmodi malos homines ſeruabant et promouebant. Et tranſiens per regnum Boemiae multoties fortalitia talium expugnabat, igne cremabat, et funditus diruebat, et propria in perſona perſequebatur maleficos, diuerſis eos interimens ſuppliciis, et non pepercit malis. Sed et Militem quemdam, *Iohannem*, dictum *Panczer*, quem ipſe Imperator pridem baltheo militari praecinxerat, captum in caſtro Zantpach in latrociniis, propriis manibus ſuſpendit. Et facta eſt talis pax in regno Boemiae, et in omnibus terris adiacentibus, qualem nulla aetas meminit, nec in Cronicis fuiſſe reperitur. Prius enim publice in caſtris morabantur profugi, et nunc iſtum, nunc illum capiebant, et Bauariam, Miſſnam, Poloniam, Auſtriam depecuniandas praeſentabant, et illi hiis e conuerſo. Procedebant quoque ſimul in vna turba LX. vel centum armati profugi ſimul, et innocentibus dampna inferebant. Ab eo tempore

1356. re disponente Altissimo omnia conquieuerunt, et facta est bona et optima pax in Boemia omnibus temporibus, quibus vixit Dominus Imperator supradictus.

Verumtamen, licet Princeps iste bonus in se existeret, vt praedicitur, quotiescunque tamen mouebat gentem ad expeditionem quamcunque Boemiae, in transeundo et redeundo multa in bonis Clericorum et Monasteriorum committebant spolia, homines pauperes rebus et pecoribus suis spoliando. Eosdem aliquando pro pecuniis habendis martyrisando, mulieres vestibus suis immaniter denudando, virgines vi opprimendo, et infinita mala perpetrantes. Non enim potuit eos Princeps propter instantes necessitates a talibus excessibus cohibere, quia peruersi difficillime corriguntur. Deinde transiuit ad partes Alamaniae, et procurauit similiter ibidem pacem inter Principes et ciuitates Imperii, et laetati sunt vniuersi pacem diligentes, et insonuit fama eius toti orbi, quia esset amator iustitiae, et Princeps pacis. Eius quoque contemplatione faciebant omnes Principes pacem in terris suis.

1357. Anno Domini MCCCLVII. fere per totum annum Dominus *Karolus* Imperator moratus est in partibus Alamaniae, procurans pacem, et disponens negotia Imperialia.

Demum eodem anno de mense Nouembri ingressus est ciuitatem Metensem, magnam et famosam nimis, in qua, vt referebant, a CCC. annis nunquam fuerat coronatus Imperator, et cum maxima solempnitate a Principibus, a Nobilibus, et Ciuibus suscipitur. Cives quoque eiusdem ciuitatis ipsi occurrentes ad tria milliaria, claues ciuitatis et omnium portarum sibi praesentant, se et sua eius Imperio cum omni beniuolentia subiicien-

ſcientes. Et factum eſt gaudium maximum in introitu Domini Imperatoris, omnis Clerus, et totus populus illi cum laetitia et iocunditate occurrunt, ipſum gaudenter ſuſcipiunt, et vſque ad domum Epiſcopalem ſibi pro hoſpitio praeparatam, cum reliquiis, ympnis et canticis conducunt. Demum Dominus Imperator ibidem moram faciens, curiam Imperialem et concilium Principibus Imperii in eadem ciuitate in feſto Natiuitatis Chriſti tunc venturo celebrandam indixit. 1357.

Inſtante igitur feſto Natiuitatis Domini venerunt ad curiam Imperialem Ambaſiatores Domini Papae, videlicet Cardinalis Tetragoricenſis, et Abbas Cluniacenſis. Item duo filii Regis Franciae, Primogenitus et Secundus, ſororini Domini Imperatoris. Item Archiepiſcopi Treuerenſis, Colonienſis et Maguntinus. Item DuxLuczemburgenſis, repraeſentans perſonam Regis Boemiae, qui eſt Archipincerna. Item Dux Saxoniae Archimarſchalcus. Item Marchio Brandeburgenſis, Archicamerarius. Item Comes Palatinus Reni, Archidapifer. Item Marchio Miſnenſis Archiuenator, ſacri Imperii Officiales.

In feſto igitur Natiuitatis Domini in Matutinis Dominus Imperator, indutus Imperialibus Inſigniis, coram Principibus ſupradictis legit Euangelium : Exiit edictum a Caeſare Auguſto, et Dominus Cardinalis coram Imperatore cantauit primam Miſſam, de cuius manibus Dominus Imperator ſumpſit ſacram Eukariſtiam humiliter et deuote. Deinde ſummam Miſſam illius diei cantauit Archiepiſcopus Colonienſis, qua ſolempniter peracta, omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi et Praelati, nec non Principes ſeculares Dominum Imperatorem, et Dominam Imperatricem, indutos veſtibus et inſigniis Imperialibus, conducunt ſolempniter ad domum conuiuii in medio ciuitatis

1357. in placza praeparatam, et pulchre nimis adornatam, vbi positae sunt tabulae atque mensae plurimae pro inuitatis. Sedente itaque Domino Imperatore ad tabulam in loco eminentiori, veniunt Officiales Imperii, sua, prout moris est, obsequia exhibentes. Et primo Archiepiscopi supradicti cum sigillis Imperialibus, quia Cancellarii sunt, singuli in suis locis. Item venit Dux Saxoniae, Archimarschalcus, in magno dextrario ante mensam, portans auenam in vase argenteo pro equis Imperialibus, et fecit sedere Principes singulos ad mensam, quemlibet in loco sibi praeparato. Item post hunc venit Marchio Brandenburgensis, Archicamerarius in dextrario, portans peluim auream, et manutergia pulchra, et dedit aquam Imperatori sedenti in throno. Item post hunc venit Comes Palatinus, portans escas in scutellis aureis, et facta credentia, posuit ante Imperatorem. Item post hunc venit *Wenceslaus*, Dux Luczemburgensis et Brabantiae, frater Domini Imperatoris, repraesentans personam Domini Regis Boemiae, qui est Archipincerna, portans in ciffis aureis vinum, et facta credentia, dedit Imperatori ad bibendum. Vltimo veniunt Principes: Marchio Misnensis, Archiuenator, et Comes de *Swarzburg*, Subuenator, cum canibus venaticis, et tubis multis, et magnum facientes strepitum, cervum et aprum portant ad mensam Principis cum omni alacritate. Et factum est conuiuium maximum in die illa, cui simile nullus recordatur. Quo peracto Dominus Imperator Principibus diversis diuersa et magnifica largitus est dona, et recesserunt cum gaudio et laetitia vnusquisque ad propria.

Eodem anno Imperator posuit fundamentum siue primarium lapidem in fundamento noui pontis Pragensis in littore prope Monasterium sancti Clementis. Anno

Anno Domini MCCCLVIII. Dominus Impe- 1358.
rator venit Boemiam, et multa aedificauit in diuersis locis castra, in quibus posuit Burgrauios suos, vt pacem procurarent, et maleficos exterminarent.

Eodem anno Dominus Imperator specialem habens deuotionem ad sanctum Wenceslaum, Protectorem et Adiutorem suum praecipuum, caput ipsius Sancti circumdedit auro puro, et fabricauit ei tumbam de auro puro, et pretiosissimis gemmis atque lapidibus exquisitis adornauit, et decorauit adeo, quod talis tumba in mundi partibus non reperitur. Insuper tumbas aliorum Sanctorum nec non capita, brachia et reliquias diuersorum auro, argento et gemmis venustissimis decorauit, et Ecclesiae Pragensi donauit.

Anno Domini MCCCLIX. circa festum beati 1359.
Aegidii fuit inundatio aquarum maxima, et intrauit aqua ciuitatem Pragensem vsque ad Ecclesiam sancti Nicolai in foro pullorum, quam inundationem secuta est hyemps calida.

Anno Domini MCCCLX. Dominus *Karolus* 1360.
Imperator instituit Clericos in Ecclesia Pragensi, qui extra horas canonicas die et nocte legunt Psalterium alta voce siue tono.

Eodem anno in vigilia Annunciationis beatae Virginis Dominus *Karolus* Imperator locauit Fratres Monachos, qui Serui sanctae Mariae vocantur, in capella eiusdem beatae Virginis sub monte Wissegrado in Viridi, et Monasterium eius construxit.

Eodem anno Dominus Imperator cinxit montem Petrinum, Strahouiam, et Hraczanum muris fortissimis.

Eodem anno audiens Imperator, quia Comes de *Wirtenberch*, Vesallus Imperii, fecerat

1360. ligam cum Duce Auſtriae *Rudolfo*, Genero Imperatoris, contra ipſum Imperatorem. Vnde graviter indignatus de hac perfidia, congregatis maximis gentibus, proceſſit contra dictum Comitem de *Wirtenberch*, et poſtquam illius terras ignis incendio deuaſtaſſet, rediit ipſe Comes ad cor, et impetrauit gratiam, licet ſero poſt multa dampna. Similiter fecit et Dux Auſtriae. Nec Imperator eis poſtmodum malum pro malo reddidit. Verumtamen, quia olim Sweui deuaſtaſſe leguntur Boemiam, nunc Boemi eundo et redeundo, illis maxima dampna intulerunt.

1361. Anno Domini MCCCLXI. Domino Imperatore moram trahente in ciuitate Nuremberga cum Coniuge ſua, Domina *Anna* Imperatrice, natus eſt eis filius, cui nomen *Wenceslaus* in baptiſmo imponitur, feria VI. in craſtino beati Mathiae Apoſtoli.

Eodem anno, quia blada in omnibus terris male prouenerant, fuit kariſtia magna valde, ita, quod menſura ſiue ſtricho ſiliginis ſolueret *b*) in Praga per mediam ſexagenam, et mortua ſunt multa millia hominum prae fame, et alii ex peſtilentia, quae adhuc vigebat. Vnde accidit, vt Iudex et iurati maioris ciuitatis Pragenſis, diabolo inſtigante facerent inſaccari et ſubmergi publice quemdam Presbyterum, nomine *Martinum*, Miniſtrum Eccleſiae Pragenſis. Quod factum, cum fuiſſet perlatum ad audientiam Domini Imperatoris, moleſte tulit, et fecit deſtitui ab officiis Iudicem et iuratos, et omnes illius nefarii facti conſcios. Nec prius voluit Imperator ciuitatem Pragenſem ingredi, niſi illi omnes de ciuitate recederent. Qui poſtea miſerunt ad Sedem Apo-

b) Bohemiſmus: ſtatlo, id eſt, *valuit*, vel *vendebatur*.

Apoſtolicam, et impetrarunt literam abſolutionis ad Dominum *Arneſtum*, Archiepiſcopum Pragenſem. Qui abſoluens eos, iniunxit eis pro poenitentia, vt diſtribuerent in eleemoſynam pauperibus ſeptem millia ſtrichonum ſiliginis, et procurarent duas lampades perpetuas in Eccleſia Pragenſi pro tanto exceſſu. Quod et fecerunt, et in breui omnes poſtea mortui ſunt. 1361.

Anno Domini MCCCLXII. Adhuc fuit kariſtia vſque ad noualia, et niſi fuiſſet iam dicta eleemoſyna, mortui fuiſſent prae fame boni mechanici. Sed miranda Dei clementia! aduenientibus noualibus tanta prouenit eodem anno bladi vbertas, vt ſtricho ſiliginis ſolueret in Praga per vnum groſſum, et recreati ſunt pauperes, laudantes Dominum in Excelſis. 1362.

Eodem anno in Octaua ſancti Procopii mortua eſt Imperatrix *Anna*, et ſepulta in Eccleſia Pragenſi. Poſt cuius obitum accepit in vxorem Imperator, *Elizabeth*, filiam filiae *Kazimiri*, Regis Poloniae.

Anno Domini MCCCLXIII. in die ſancti Viti fecit Imperator coronari filium ſum, *Wenceslaum*, in Regem Boemiae, ſecundo anno aetatis ſuae; et Dominam *Elizabeth*, Coniugem ſuam, in Reginam poſt haec die tertia per Dominum *Arneſtum*, Archiepiſcopum Pragenſem. 1363.

Anno Domini MCCCLXIIII. die vltima menſis Iunii Reuerendus Pater, Dominus *Arneſtus*, Archiepiſcopus Pragenſis primus, febre diu fatigatus, migrauit ab hoc ſeculo. Vir dilectus Deo fuit et hominibus etc. vt ſequitur. 1364.

Fuit autem idem *Arneſtus* natione Boemus, *Arneſti*, Militis de *Pordubicz*, filius, alias de Ho-

1364. ſtyna prope Brodam Boemicalem; Vir longae ſta-
turae, venuſta facie, omni morum honeſtate de-
corus, mirae patientiae. Nam ipſius familiaris
cottidiana conſueta familia nunquam audiuit de
ore ipſius ſiniſtrum aut iniurioſum famen procede-
re, quo aut iniuriam reprimere aut vellet inferre.
Si quem quandoque de minimis familiae ſuae ver-
bo quantumcunque leui ſe credidit offendiſſe, ab
eo nimis verbis humilibus veniam poſtulabat, di-
cens: Se id ex ira, ſuperbia et arrogantia perpe-
traſſe. Sed et dum aliquis ei loquebatur iniuriam,
aut diſplicibile quidquam, clauſis labiis frequen-
tiſſime, ſignato ore digitis, aiebat: Pone, Domi-
ne, cuſtodiam ori meo, etiam haberem os lo-
qui, ſi vellem. Et quemadmodum tandem ore
praedicabat patientiam, ſic oſtendebat opere et
exemplo. Tantoque erat corde humilior, quam
ſe conſpiciebat gradu altiori fulgere. Et quam-
quam ipſe in Iure canonico in Bononienſi ſtudio,
in quo, et Paduano, tanquam ſtudens per XIIII.
annos moram continuans, licentiari promeruit, ta-
men cor ipſius ipſa ſcientia, vt plerosque ſueuit,
elatione aliqua non inflauit, quia omnibus eo in-
digentibus mitis reſplenduit, quos karitatis necta-
re ſicut ſibi ſubditos ſub bono exemplo aedificare
curauit. Mosque ſibi fuit cum omnibus Praelatis,
Capellanis atque Clericis domus ſuae, aliisque ad-
ventantibus, in linea per directum coram ipſo
ſtantibus, dum coram ipſo Miſſa legeretur, et
ipſe Miſſam legit, vel legi audiuit, et dum co-
ram eo alius legeret, in Miſſali ante ipſum tento
per Capellae Clericum, vel promotione minorem
cum dictis Praelatis et Clericis totum officium
ipſius Miſſae legere, et poſtea de beata Virgine
ordinatis et moroſis accentibus ruminare. Nullus-
que tunc, quando Miſſam ipſam audiebat, vel
etiam ante Miſſam cum eo, etiam de ſuis proprüs

nego-

negotiis loqui poterat. Sed demum expleto offi- 1364.
cio ad ſalam procedens omnibus, pauperibus et diuitibus pio vultu, ſed humiliori corde, audientiam praeſtitit, quos benigne ceu agnus manſuetus ſtando, manibus et viſu compoſitis audiebat, et ſine interuallo temporis, ſi potuit, expediuit. Dum vero propter ſui abſentiam, vel negotii qualitatem id ſolus ſtatim explere non poterat, Praelatis, qui ſibi adhaerebant, cum omni ſedulitate commiſit, celerius, quo fieri poterat, terminandum.

Equidem ipſius diligentia et ſollicitudine, procurante glorioſiſſimo Principe, Domino *Iohanne*, Rege Boemiae, et inuictiſſimo Principe, Domino *Karolo*, eiusdem Primogenito, tunc Marchione Morauiae, nunc vero diuina fauente clementia, Romanorum Imperatore ſemper Auguſto et Boemiae Rege, nunc vero ſceptra et faſtigium Romani Imperii, et dicti regni Boemiae feliciter gubernante, anno Domini MCCCXLIIII. eadem ſua Pragenſis Eccleſia in Metropolitanam Eccleſiam eſt erecta, quae olim Maguntinae Eccleſiae filia, ſeu ſuffraganea exiſtebat. A cuius ſubiectione per donum et gratiam ſanctiſſimi Patris et Domini Domini *Clementis* Papae praedicti erepta, duas ſibi, Mater effecta, filiales ſeu ſuffraganeas Eccleſias, Olomucenſem videlicet et Luthomislenſem foecunditate Lyae, quae in hoc praeferebatur Rachelis pulchritudini, eſt enixa, et qui paulo ante filius et Epiſcopus dicebatur, iam Pater et Archiepiſcopus praedicatur.

O magna Dei prouidentia! quae tantam tantae perſonae dignitatem diſpoſuit reſeruare, et ipſam conſtituit Pragenſem Archiepiſcopum vocitari! Quis dubitat, ſanctum Adalbertum, Epiſcopum olim dictae Eccleſiae, eum ſibi conſtituiſſe ſucceſſorem, qui morbidas ſuae plebis ouicu-

1364. las verbo doctrinae, et exemplo vitae, ſaluifico infuſo oleo et vino vulneribus ad ſanitatis gratiam incitaret. Impleta eſt igitur Prophetia beati Emerammi, Epiſcopi Ratisponenſis, qui inter caetera commemoratur olim ſcripſiſſe ſanctiſſimo Duci et Patrono noſtro, beatiſſimo Wenceslao ita, dicens: Vidi, fili mi, Eccleſiam, quam a me conſecrari poſtulas, in Metropolim erectam coram Domino. Recepto ſiquidem per eum ab Apoſtolica Sede ſibi miſſo pallio, in quo nomen et plenitudo Archiepiſcopalis dignitatis conſiſtit, demum omnibus iuribus et canonibus praeſcriptis rationabilibusue, quae pro lege habentur, conſuetudinibus recollectis animaduertens, non debere reprehenſibile iudicari, ſi ſecundum varietatem temporum, ſtatuta varientur humana, videlicet Maguntinae Eccleſiae, quae, quia quoad ſuam prouinciam per abuſum quaedam, quaedam propter inconuenientiam, in deſuetudinem venerunt, fructum nullum aut modicum faciebant, noua et vtilia ſtatuta edidit in Concilio Prouinciali. Verum quia, ſicut praediximus, Vir erat literaturae et prudentiae eximiae, interſeruit eisdem ſtatutis de Iure canonico multa vtilia ad regendum et gubernandum per Presbyteros Parochias ſuas ſumme neceſſaria, cum plerosque a ſtudiis non voluntas prohibeat, ſed paupertas. Edidit etiam pro Eccleſia ſua Pragenſi, et aliis Eccleſiis collegiatis ſuae dioceſis, noua et vtilia ſtatuta, quae omnia ſuis ſubditis per copiam tradidit futuris temporibus habitura.

Huic Viro talis fuit futuri iudicii memoria, vt ſicut de credito ſibi talento venienti Domino duplicatum lucrum referret, curam habuit, ſic etiam de temporis ſui, quo vixit, ſpatio, quantum quemadmodum expendit, bonam poſſet poſcenti Domino reddere rationem, ſiue diurno ſiue no-

nocturno ſompno corpus traderet, quouſque ipſum ſopor opprimeret, lectione mentem refouebat. 1364
Et ne quidquam temporis ſui negligentia vendicaret, habebat in inferiori tunica ſeu iopella, ab vtroque latere ſacculum dependentem, in quibus certos libellos, et memorialia ſua deportabat, in quibus frequenter, dum curru, vel equo vehebatur, et nonnunquam etiam ex conſilio Domini Imperatoris et Regis, dum minus vtilia tractarentur, ad partem ſe trahens furabatur dulcem lectionem. Saepe etiam adhuc diem tenente tempore cameram ſubintrauit, ne quid pernitioſi, quod vitam vel famam coinquinaret, aut ne verbum non aedificatiuum proferret, poſſet emergere. Vbi deiectus in ſtratum per cubicularium ſuum Clericum ſibi fecit vitas Patrum, aut in alio aedificatiuo codice legere, vſque dum ſopor ingens ipſum lectionem non ſineret auſcultare. Tunc interdum ſompno in ipſo lecto capto, interdum vero, dum cubicularius crederet, lecto Epiſcopali cubare, ipſe mollem lectum declinans, mattis ante lectum, aut humi ſe proſtrauit. Media vero nocte, dum aliis ſopor aſſolet maior excreſcere, ne inimicus humani generis eum inueniret dormientem, mox a cubili conſurgens, vocat Capellanos, cum quibus horas canonicas et beatae Virginis diſtincta voce explet. Demumque Capellanis ipſis cubatum iterum reuertentibus, hic ſe dabat meditationi, aut lectioni diuinae. Et ſi erat Miſſam officiaturus, in mane ſuſpiriis et crebris ſingultibus dabat ſe in lacrimas. Solitus etiam erat a promotionis ſuae tempore vſque ad obitus ſui diem, in quodam ſuo libello omnes ſuos defectus ſpirituales propria manu deſcribere, quatenus eos ad reſiſtendum eis, et corrigendum plus memoriae commendaret. In quo etiam deſcribebat frequenter poenitentias ſibi impoſitas, et conſilia confeſſorum.

1364. Magnae etiam miſericordiae et largitatis fuit erga pauperes Chriſti, Beatiſſimae Virginis, Luciae inſtructus conſilio, quae dixerat Matri ſuae: Non ſatis eſt carum Altiſſimo, qui illi dat, quo ipſe perfrui non poteſt, ſed ſi tibi vis Deum propitium, hoc illi da, quo poteras ipſa vti; nam, quod ipſi das moriens, ideo das, quia tecum ferre non praeuales. Hic multos in ſtudiis, Bononienſi, Paduano et aliis, tenuit Clericos pauperes, quibus de libris, veſtitu et ſumptibus, et demum de beneficiis prouidebat. Et quotiescunque per terram, ciuitates vel villas tranſibat, ſingulis pauperibus obuiis, et aliis, quos videbat, per ſuum Eleemoſynarium ſtipem dabat. Paſcebatque ſingulis diebus minime XII. pauperes, quorum vnicuique duos paruos denarios eſt largitus. Singulis etiam annis in Paraſceue LXX. aut plura panni griſei ſtamina pauperibus, per conſuta pallia, tunicas et caputia diuidebat. Habuit etiam, ſancti Nicolai ſecutus veſtigia, ſemper vnum aut duos Presbyteros, qui ſecrete ipſius pecuniis virgines, ne ſtupro eas ob paupertatem proſterni contingeret, decenti dote oblata maritabant. Pauperes etiam alios, qui ob verecundiam eorum praecedentis ſtatus honorifici, mendicata petere formidabant ſuffragia, competenti pecunia releuabat. Hic hoſpitalia eisdem, aut aliis viſitare mandabat, quatenus defectus infirmorum in eis degentium reformaret, ſi qui forent, quod ſine protelatione effectui mancipabat. Hic pro domo Dei murum ſe ponens, iudicia peregrina, videlicet ferri candentis, et aquae frigidae, quibus Boemi vſque ad ſua tempora vtebantur, fieri prohibuit, et ceſſare fecit omnino, magna reſiſtentia et diſplicentia Baronum regni non obſtante. Etiam quibusdam malignis hominibus flagellatoribus, qui falſam praetendentes poenitentiam, homines plurimum

rimum decipiebant, ſe viriliter non ſine corporis 1364.
ſui periculo, oppoſuit, et ipſos a tali praeſumptione compeſcuit, et de ſua dioceſi procul ire fecit.

Hic in anno Domini MCCCLXII. dum ſaeviret kariſtia in Boemia bladi in tantum, vt pauperes multi fame morerentur, magnas panis et frumenti fecit eleemoſynas, quibus pauperes per ciuitates, villas et oppida ſuſtentationis praeſidio cibarentur. Multos etiam libros, et extraneos a notitia multorum hominum, hic ſcribi fecit, et de aliis mundi partibus apportauit, habens tres continue vel duos ad minus cartularios, qui libros etiam Miſſales et Miſſarum canones praeter *c*) cottidie conſcribebant, quos Monaſteriis et Eccleſiis, ac aliis piis locis, prout quosque cognouerat indigere, diſpenſauit

Struxit namque praefatus Dominus *Arneſtus* ſolempnem Praepoſituram Canonicorum regularium in Glacz, et ſufficientibus cenſibus, libris, pretioſis ornatibus, picturis et exquiſitis ſtructuris ornauit. In quo vtique, dimiſſo Archiepiſcopali faſtigio, voluit eandem regulam profiteri, nam ſibi cellam in eodem exſtruxerat, vbi clam veniens, vno tantum familiari contentus, ſe Romam fingens adire, per longa dierum ſpatia latitans, in Dei, et beatae Virginis Mariae, cui ſedulum exhibebat officium, contemplatione perſiſtens. Matutinali tempore vnicus viſitabat Eccleſias. Et vt poſſet in ipſis Dei et beatae eius Genitricis laudibus liberiore animo perdurare, ſaepe Dominum *Clementem*, Papam praedictum, Dominum *Innocentium* Sextum, Dominum *Vrbanum* Quintum, ſiue modernum per ſe, et aliquando mediis ſuis nunciis, eſt precatus, quatenus ſibi darent cedendi licentiam gratia melioris vitae ſeu liberioris ad contemplationem captandam. Sed ipſi ſcientes

ipſum

c) Adde *alios*.

1364. ipſum Eccleſiae, ſuae ſponſae, praeeſſe vtiliter, ab ipſius vinculo ipſum abſoluere minime curauerunt. In ſignum namque deſiderii ſui praefati, coram imaginibus Dei, et beatae Virginis, quas quandoque in vitris, et aliis coloratis picturis fieri procurabat, deflexo in terram poplite pingebatur, ante cuius pedes omnia inſignia Archiepiſcopalia, tanquam ab eo dimiſſa et abiecta propter Deum, pingebantur.

Hic etiam Monaſteria in Saczka, in Iaromir, in Rokiczano dicti Ordinis de nouo erexit, et ſumptuoſe fundauit. Hoſpitalia in Broda Boemicali, in Pybrano et in Libano conſtruxit, et furniuit neceſſariis atque appendiis competenter. Hic reaedificauit omnia caſtra ſui Archiepiſcopatus, quae erant ex nimia vetuſtate valde collapſa, et in Pybrano vnum caſtrum de nouo conſtruxit. Oppida ſuae Eccleſiae, videlicet Brodam Boemicalem, Tynhorſſouienſem, et Rudnicz muris muniuit. Piſcinas multas, praeſertim circa Kyg villam, Rokiczanum, Tynhorſſouium, Przibramum, Reczicz, Zerczicz et Chynow cum magnis impenſis de nouo exſtruxit. Mediam Baroniam in Roſenthal, datis plurimis reditibus ad vitas certarum perſonarum, Archiepiſcopali menſae acquiſiuit. Hic omnes libros Pragenſis Sacriſtiae, nimia vetuſtate conſumptos, ligari et meliorari fecit. Chorales libros, videlicet Gradualia et Antiphonaria, vtraque duplicata in multis voluminibus pulchriora, quam vnquam in Eccleſia viſa fuerant, pro magnis pecuniis perſonalibus ſcribi fecit; aliosque pro ſtudio ſacrae ſcripturae condonauit, et ipſam Eccleſiam pluribus ornatibus pretioſiſſimis decorauit. Dedit etiam eidem ſuae Eccleſiae in mortis articulo pro ſtructura ipſius de proprio patrimonio mille marcas; et vnam capellam, proximam ei, quae eſt in fronte chori,

a fun-

a fundamentis vſque ad perfectionem ſuis ſump- 1 64
tibus exſtrui, et feneſtris vitreis exornari procura-
vit, quam ipſemet etiam conſecrauit. Item dedit
ducentas marcas pro panibus altariſtis Pragenſis
Eccleſiae, vt vna cum vicariis Dominorum Canoni-
corum perceptione panum gauderent, pro quibus
empti ſunt reditus perpetui in talibus villis etc.

Hic in eadem Pragenſi Eccleſia Lectorem in
Theologia ſuis pecuniis inſtituit, pro quo emit
certos reditus in villa Zlatnik prope Pragam, vt
Canonici et alii Clerici Eccleſiae pabulo ſacrarum
ſcripturarum non careant. Et quam plura com-
parauit, namque pro pauperibus choralibus Cle-
ricis XII. ſexagenas redituum in villa etc. vt bis
in anno habeant tunicas, et liberius ac ſedulius
in choro nocturnis et diuturnis horis vacent in di-
vino officio. Fuit etiam in ſermone verax, et
magni conſilii vir, atque in iudicio iuſtus, apud
quem non erat acceptio perſonarum, tempore
cuius coepit iuſtitia in Conſiſtorio ſuo foueri, et
vigorem habere. Quae vnicuique, etiam contra
quamcunque potentiſſimam reddebatur. Pro qua
quidem vſque ad vitae ſuae exitum, quamuis
multas, crebras ac graues ſuſtineret iniurias, cum
pro ipſa ſtrenuo et virili animo conſtantiſſime di-
micabat, non parcens contra ipſam pauperi, nec
potenti. Fuit etiam, vt praedixi, ſtudioſorum et
virtuoſorum pauperum Clericorum maximus ada-
mator, quos etiam in promotione beneficiorum
ſuis propriis conſanguineis praeferebat.

Tali igitur ab omnibus hominibus dilectionis
affectu fauebatur, et praeſertim in curia Romana.
Dum enim ex iuſſu Imperatoris ipſam Romanam
curiam, quam ſaepius in legationibus ipſius Im-
peratoris viſitabat, intraret, Papa, et Cardinales
ipſius, ſingulari ipſum honore prae caeteris hone-
ſtabant, eiusque verbis credentes, in ipſius petitio-

nibus

1364. nibus et legationibus gratioſius expediebant. Communis igitur Domini Papae, Cardinalium et aliorum Praelatorum, Cleri et populi aſſertio proclamabat, non habere Alamaniam, immo totam Eccleſiam Dei, talem Praelatum, qui obſeruaret legem Excelſi. Mortuo namque *Innocentio*, Papa Sexto, propter ipſius virtutes et mores per certos Cardinales et Papam *d*) fuit inter alios nominatus. Forte ab omnibus fuiſſet electus, ſi nationis alienae ab eorum non fuiſſet.

Saepe etiam Papa voluit eum in maiori dignitate, promotione locare, ſed mens prouida, non ambitioſa, honorem reſpuit, quae habitam, vt praedixi, affectabat, ſi habuiſſet licentiam, Archiepiſcopalem dimittere dignitatem. Non mordax lingua inebriét gladium detractionis in ſanguine, quia praemiſſa notare diſpoſui, ſed vt tibi non detur opportunitas detrahendi, de vlteriore laude viri, licet digna memoria, diſgrediendo reſilio.

Sub anno igitur Domini MCCCLXIIII. Reverendus Pater, pro quibusdam arduis ſuis, et Eccleſiae ſuae negotiis, ad Dominum Imperatorem in Radiſſin *e*) proficiſcitur; vbi ab Imperatore, et vniuerſis Principibus ac Nobilibus honeſte eſt ſuſceptus, et benigne pertractatus, et in die ſancto Penthecoſtes facto ſermone ſolempni in vulgari ad populum, celebratis per eum publice Miſſarum ſolempniis, mox febribus atrociſſimis arreptus, cognitoque diem reſolutionis ſuae adueniſſe, ſe iubet in Rudnicz lanquidum deportare. Vbi facto teſtamento, prout ex ſpeciali conceſſione Domini Papae ſibi licuit, et ſeruitoribus ſuis multis

d) Lege *Papa* ſeu *in Papam*. *e*) *Budiſſin* correxit recentior manus.

tis muneribus remuneratis, circa ſanam et omni- 1364.
modam rationem, cum maxima contritione et cordis deuotione, migrauit ad Dominum die vltima menſis Iunii, quae fuit dies Dominica, in feſto commemorationis ſancti Pauli Apoſtoli glorioſi, hora quaſi completorii, Pontificatus ſui anno XXII.

Elegit autem longe adhuc ante obitum ſuum ſepulturam ſibi in Eccleſia Parochiali ſanctae Mariae in Glacz. Vbi aliquando ſibi beata Virgo, Dei Genitrix, apparuit, vt ex miraculo, quod in agone ſuo, et non prius publicare voluit, claret. Vbi in honore eiusdem Genitricis Dei ſingulis diebus in aurora diei Miſſam ſub nota cum Antiphona: Salue Regina, perpetuis temporibus decantandam inſtituit, et ſufficientibus reditibus dotauit. Sepultus ibidem ante altare maius. Anima eius requieſcat in coelo. Amen.

Igitur mortuo iſto Reuerendo Patre, cuius memoria erit in benedictione in ſeculum ſeculi, et corpuſculo ipſius poſt magnificas exequias tradito ſepulturae, ne Eccleſia Pragenſis diutius Paſtoris ſolatio orbaretur, Decanus et Capitulum ipſius Eccleſiae conuenientes in vnum, ſtatuerunt terminum electionis futuri Pontificis vigiliam ſanctae Margarethae. Quo termino aduenient̃e, Decanus et Capitulum congregati in loco Capituli, inuocata Spiritus Sancti gratia, nullo alio tractatu praehabito, ſed mox, quaſi per inſpirationem, omnes vnanimiter, nullo penitus contradicente, direxerunt vota ſua in Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, Dominum *Iohannem*, Epiſcopum Olomucenſem, Secretarium et Conſiliarium Domini noſtri Imperatoris, qui a iuuentutis ſuae annis ſemper eidem Domino, adhuc in minori aetate atque dignitate conſtituto, fideliter adhaeſit, et tribulationum ac laborum illius, tamquam fidelis ſerui-

1364. ſeruitor, particeps et conſcius fuit. Vnde a Domino Imperatore, et vniuerſis Principibus, Baronibus, Nobilibus, Ciuibus et generaliter a Clero et populo regni prae aliis diligebatur. Ipſumque Dominum Epiſcopum Olomucenſem in Archiepiſcopum canonice poſtulauerunt. Qui licet allegaret ſuam ſenectutem, poſtulationi de ſe factae conſentire recuſaret, victus tamen precibus Domini Imperatoris et Principum, ac Decani et Capituli Eccleſiae Pragenſis, voluntatem et conſenſum ſuum poſuit in manibus Domini Papae. Mox diriguntur nuncii ad Sedem Apoſtolicam. Dominusque Papa informatus de idoneitate, ac probitate perſonae poſtulatae, et modo poſtulationis, conſenſit eidem poſtulationi, et perſonae poſtulatae dedit licentiam transeundi de Eccleſia Olomucenſi ad Eccleſiam Pragenſem. Conceſſit etiam eidem, vt ſtatim ante receptum pallium adminiſtraret in ſpiritualibus et temporalibus. Cui per Venerabilem Epiſcopum Spirenſem poſtmodum transmiſit pallium, in quo deſignatur plenitudo Archiepiſcopalis dignitatis.

Hic vir adeptus Archiepiſcopalem dignitatem, manſuetudinem ac benignitatem, quam prius habuit, non minuit, ſed ſuper omnes patiens, et mitis fuit. Hic in minoribus adhuc conſtitutus, ſequens veſtigia Domini ſui Imperatoris, dilexit ſanctum Wenceslaum, et de pecuniis ſuis emit certos reditus pro Eccleſia Wratislauienſi, in qua tunc erat Canonicus, et procurauit, vt in eadem feſtum eiusdem Patroni ſub duplici veneraretur officio cum cantu et legenda ad modum Eccleſiae Pragenſis. Vnde et ipſe meruit per interceſſionem eiusdem beati Martyris, et Patroni noſtri Wenceslai, qui ſuos deuotos ſemper promouet et exaltat, prouehi ad hanc dignitatem.

Ex-

Exſtruxit etiam Reuerendus Pater, dum ad- 1364.
huc in Olomucenſi Eccleſia Epiſcopali fungeretur dignitate, capellam de miro opere in Eccleſia Pragenſi, in qua inſtituit Capellanum ſeu Miniſtrum perpetuum, ſufficientibus reditibus dotatum. Fundauit etiam hic Venerandus Pater adhuc ante ſuam promotionem ſupradictam hoſpitale pauperum virorum ac mulierum, eorum videlicet, qui aliquando fuerunt in diuitiis et honoribus conſtituti, poſtea vero deuenerunt ad paupertatem, ne tales cogerentur hoſtiatim in vituperium ſuum et amicorum ſuorum mendicare. Et id ipſum hoſpitale ſufficientibus reditibus dotatum collocauit ſub monte Wiſſegrado, in loco ſatis delicato.

Eodem anno per nuncios ſupradictos impetrauit Dominus Imperator a Domino Papa, *Vrbano* Quinto, priuilegium valde honorificum Eccleſiae Pragenſi, videlicet, vt, quandocunque et quotiescunque Archiepiſcopus Pragenſis per ſe ipſum facit officium in Eccleſia Pragenſi, tunc omnes Praelati et Canonici praebendati, nec non Archidiaconi, qui cenſentur in Eccleſia Pragenſi inſtituti, vti poſſunt et debent infulis albis more Cardinalium Domino Papae in curia Romana concelebrantium. Vbi autem Archiepiſcopus Pragenſis facit officium in prouincia ſua, et ſuae legationis terminis, debent duo Canonici Eccleſiae ſuae Pragenſis ſibi ſub huiusmodi albis infulis concelebrare in officiis Diaconi et Subdiaconi.

Item Praelati et Canonici Eccleſiae Pragenſis poſſunt ſub huiusmodi infulis albis celebrare diuina in Eccleſia Pragenſi diebus ſolempnibus et feſtiuis. Quando autem alius Pontifex vndecunque faceret officium diuinum in Eccleſia Pragenſi, Praelati et Canonici dictis infulis non vtantur, niſi forent praeſentes, et intereſſent eisdem diuinis dictus Dominus Imperator, vel haeres ac ſucceſſor

1364. ſuus, Rex Boemiae, volens in hoc ſpecialiter honorare regiam dignitatem. Prout haec omnia in priuilegiis Domini *Vrbani* Papae Quinti Eccleſiae Pragenſi conceſſis plenius et euidentius continentur.

1365. Anno Domini MCCCLXV. die Dominico poſt feſtum Circumciſionis Chriſti, Reuerendus Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, iam accepto pallio Archiepiſcopali, conſecrauit duo altaria in Eccleſia Pragenſi, videlicet ſancti Viti et ſanctae Mariae in nouo choro Pragenſi. Die Dominico poſt feſtum Purificationis conſecrauit capellam maiorem in turri caſtri Karlſtein. Conſtruxerat enim Imperator caſtrum hoc de miro opere, et firmiſſimis muris, prout hactenus cernitur, et fecit in ſuperiori turri vnam magnam capellam, cuius parietes circumdedit auro puro et gemmis pretioſis, et decorauit illam tam reliquiis Sanctorum, quam ornatibus pro Decano et Capitulo, ſeu Collegio, quod ibidem inſtituit, et ornauit picturis multum pretioſis. In diffuſo orbe terrarum non eſt caſtrum, neque capella de tam pretioſo, et merito, quia in eodem conſeruabat inſignia Imperialia, et totius regni ſui theſaurum.

Eodem anno de menſe Maii Dominus Imperator aſſumptis ſecum pluribus Nobilibus regni Boemiae, prouectus eſt ad ciuitatem Auinionenſem ad Dominum *Vrbanum*, Papam Quintum, a quo cum maximo honore ſuſcipitur, et magnifice pertractatur. Dominus etiam Papa ob reuerentiam Imperialis dignitatis fecit coram Imperatore officium in die Penthecoſtes, qui erat indutus Imperialibus, et reſidebat in Maieſtate ſua ex oppoſito in ſolio regali contra ſedilia Papae, et impleta eſt ſcriptura, quae dicit: Sol et luna ſteterunt in habitaculo ſuo etc.

Cum-

Cumque Imperator ibidem moram traheret, cupiens ipſe magnificare et exaltare Eccleſiam ſuam Pragenſem, impetrauit a Domino Papa, vt Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, et omnes ſui ſucceſſores, fungerentur officio legationis in ſua prouincia Pragenſi, nec non in Ratisponenſi, Pobenbergenſi et Miſnenſi dioceſibus, perpetuis temporibus. Et in ſignum huiusmodi legationis transmiſit Dominus Papa praefato Domino *Iohanni*, Archiepiſcopo Pragenſi, crucem argenteam deauratam, et pileum latum nigrum, ac cappam de panno bruneto, vt illis inſigniis in terminis ſuae legationis, ipſe et ſucceſſores ſui vterentur. Quibus inſigniis Dominus Archiepiſcopus Pragenſis receptis, ſcripſit ſic amodo in literis ſuis: Sedis Apoſtolicae Legatus. Et viſitauit cum illis inſigniis, tanquam Legatus, prouinciam ſuam, et ſupradictas ciuitates et dioceſes legationis ſuae, et obediuerunt eidem in omnibus illi omnes, nec fuit, cui hoc factum diſpliceret. 1365.

Eodem anno coronatus eſt Dominus Imperator corona regni Arelatenſis, quod Romano ſubeſt Imperio, in ciuitate Arelatenſi cum maxima ſolempnitate. Poſtquam ergo Imperator diſpoſuiſſet cum Domino Papa negotia ſua, et ſacri Imperii pro omni ſua voluntate, recepta ab eo licentia receſſit abinde cum omni iocunditate atque gaudio. Venit in Aganum cauſa deuotionis viſitandi limina ſanctorum Martyrum Thebeorum, vbi tunc temporis requieſcebat pretioſiſſimus theſaurus, videlicet corpus ſancti Zigismundi, Regis Burgundiae, quod impetrauit ſibi dari, et attulit ſecum Pragam, et ſuſceptum eſt proceſſionaliter in Eccleſia Pragenſi in die beati Auguſtini. Quod quidem corpus ſancti Zigiſmundi magnis ibidem claruit miraculis, quae fide dignorum ſuf-

1365. ficienti teſtimonio nobis relata, et coram nobis probata inferius deſcribuntur. Et de hiis miraculis ſancti Zigismundi habetur ſpecialis tractatus vel libellus in ſacriſtia Pragenſi.

1366. Anno Domini MCCCLXVI, de menſe Februarii duo ciues de ciuitate Iaromir pro eo, quod per quendam Presbyterum ad praeſentiam Officialis Pragenſis citabantur, ipſum Presbyterum interfecerunt. Quos ciues, licet magnam offerrent pro vita ſua pecuniam, iuſſit Dominus Imperator capitibus truncari.

Eodem anno et tempore quidam alius Wladiko prope Nouam domum, diabolo inſtigante, plebano ſuo proprio pro eo, quod ſententiam Officialis contra ipſum exequeretur, eruit oculos ambos. Cumque factum huiusmodi peruenisſet ad notitiam Imperatoris, mandauit eidem in ciuitate Pragenſi, in conſpectu totius populi, eruere ambos oculos, qui tertia die poſt hoc prae nimio dolore mortuus eſt. Et licet pro ſalute eius, quia notus erat, multi Principes et Nobiles multimodas preces funderent ad Dominum Imperatorem, et etiam pecunias offerrent, et laeſo Presbytero ſatisfacere promitterent, Dominus tamen Imperator, iuſtus Iudex, nec precibus nec precio vinci potuit, ſed iuſtitiam faciendo benedictionem a Deo promeruit, et ſucceſſoribus exemplum, vt iuſtitiam faciant, reliquit.

Eodem anno feria quinta ante Iudica, Dominus Imperator filiam ſuam ſeniorem, quam ex Domina *Blanczа* genuit, *Katherinam*, relictam olim *Rudolfi* Ducis Auſtriae, copulauit *Ottoni*, Marchioni Brandenburgenſi. Item eodem die filiam ſuam ſecundam, *Elisabeth* virginem, quam genuit ex Domina *Anna* Swidnicenſi filia, copulauit *Alberto*, Duci Auſtriae ſeniori.

Eo-

Eodem anno die III. mensis Iunii circa horam 1366.
vesperorum fuit tantum disturbium aeris, et fulgura et corrusciones ac tonitrua, quod nullus narrare sufficit, et praecipue super ciuitatem Pragensem, et plures homines in campis fulmine percussi, mortui sunt, et domos funditus demoliuit huiusmodi tempestas in diuersis locis.

Eodem anno in vigilia sancti Wenceslai consummata est capella eiusdem sancti Wenceslai de nouo et miro opere in Ecclesia Pragensi.

Eodem anno in die sancti Michaelis quidam frater, *Nicolaus*, Caritor, de domo sancti Iacobi Fratrum Minorum ciuitatis Pragensis, qui longo tempore passus fuit rupturam in interioribus suis, sperans de misericordia Dei, et sancti Martyris sui Wenceslai, accessit fiducialiter ad sepulchrum eiusdem, et postquam aliquamdiu orationem pro recuperanda sanitate fudisset, illico protinus sanitatis beneficium per suffragium sancti Martyris Wenceslai obtinuit, et glorificabat Dominum, et sanctum Martyrem Wenceslaum coram omni populo.

Eodem anno die sequenti post festum XI. millia virginum, ab hora matutina vsque ad horam primam visae sunt quasi stellae de coelo cadere continuo, et in tanta multitudine, quod nemo narrare sufficit.

Eodem anno et tempore Dominus Imperator in Nuremberch constitutus, constituit Vicarium Generalem sacri Imperii per Alamaniam, *Wenceslaum*, Brabantiae ac Lucemburgensem Ducem, fratrem suum, et reuersus Boemiam aedificauit et extruxit piscinam sub castro Bezdez mirae magnitudinis, quasi stagnum. Hiis etiam temporibus apparuit in Boemia quoddam genus piscium, prius hic nunquam visum, qui in vulgo appellantur Par-

1366. mi, aliter barbelli, et in magna copia, ita, vt omnes aquae in Boemia de illis habundarent.

Eodem tempore Dominus *Karolus* Imperator fundauit Monaſterium nouum in caſtro ſuo Moywin verſus Zittauiam, et locauit in eo Monachos, qui Coeleſtini appellantur, quibus de ſuſtentatione, et vitae neceſſariis ſufficienter prouidit.

Eodem tempore quidam maligni homines, intrantes nocturno tempore monaſterium in Skalicz, Abbatem eiusdem loci iugulauerunt, Virum bonum et deuotum.

Eodem anno nobiles Viri, Domini *Petrus*, *Iodocus*, *Vlricus* et *Iohannes*, filii quondam Domini *Petri* de *Roſemberg*, accedente ad hoc fauore Domini Imperatoris, et Domini Archiepiſcopi et Capituli Pragenſis, de Parochiali Eccleſia in bonis ſuis, in Witignaw, aliter Trzebonye, fecerunt Monaſterium Canonicorum regularium, et ſufficienter dotauerunt etc.

1367. Anno Domini MCCCLXVII. Ipſe eſt annus, de quo multa mala ſunt profetata, et in magna parte completa.

Eodem anno circa feſtum beatae Agnetis, in ſecunda hora noctis, fuit eclipſis lunae totius, et durauit per tres horas.

Eodem anno in menſe Martio facta eſt invndatio aquarum in Boemia, ita magna, quod fere mediam partem ciuitatis Pragenſis occupauit aqua, quae extendit meatum ſuum vſque ad Eccleſiam ſancti Nicolai in foro pullorum, et Eccleſiam ſancti Aegidii, in quibus plateis ante fores Eccleſiarum piſces capiebantur. Iſtud diluuium multa mala fecit, et pluribus irrecuperabilia dampna intulit. In curia Domini Archiepiſcopi cellaria omnia vſque ad ſummum impleuit, et in ponte Pragenſi ante curiam Ducis Saxoniae equi adaquabantur.

tur. Pontem quoque Pragenſem ligneum in plu- 1367.
ribus locis, ſed nouum in vno tantum pilerio, rupit, domus quoque et ſtrues lignorum abduxit ſine numero. Sed et multi homines in nauigio Pragenſi, et alibi in diuerſis locis ſubmerſi ſunt.

Eodem anno in Martio et Aprili, ſtatim poſt diluuium hoc, venit quaedam ſubita peſtilentia ſuper omnem hominem, et rarus fuit in villis et ciuitatibus, qui non infirmaretur. Sed Deo propitio tribus vel IIII. diebus tantum durauit, et pauci ex eadem mortui ſunt. Sed communiter omnes homines infirmabantur.

Eodem anno de menſe Magio, facta eſt mutatio dextrae Excelſi non modica. Nam Dominus *Vrbanus*, Papa Quintus, mutauit locum, et contra voluntatem omnium pene Cardinalium curiam ſuam transtulit de Auinione in Wyterbium, et ibidem manſit vſque ad Octobrem. Deinde, cum ibidem aduerſus ipſum et ſuos Cardinales, atque eorum familiares ſuſcitatus et factus ſuiſſet rumor magnus, et plures occiſi, et finaliter vindicta facta eſſet de malefactoribus huiusmodi, Dominus Papa in die ſancti Galli intrauit vrbem Romanam, et cum ingenti gaudio ab omnibus ſuſcipitur, et in ſede ſancti Petri collocatur.

Eodem anno facta eſt maxima effuſio ſanguinis humani in diuerſis mundi partibus. Nam Papa mittens gentes ſuas in auxilium Reginae Siciliae, debellauit magnam ſocietatem, multos captiuando, et plures interficiendo. Item inter Regem Hyſpaniae, et Regem Nawarriae. Item inter Epiſcopum Baſilienſem, et ciuitates Reni. Item inter Comitem de *Eygen*, et ciuitates quasdam Reni et Sweuiae. Item inter Epiſcopum Pathaviae, et ciues ſuos maxima ſunt bella et praelia commiſſa. Item inter Epiſcopum Hildeſinenſem,

1367. et Archiepiſcopum Maidburgenſem commiſſum eſt bellum maximum, in quo fuerunt Epiſcopi alii et Duces, et minor deuicit maiorem ac multo fortiorem, quia exercitus Maidburgenſis fugit. In Boemia vero multi latrones ac fures hoc anno interierunt. Iſte etiam annus ſatis ſterilis fuit, et blada male prouenerunt.

Eodem anno de menſe Octobri filius Domini Imperatoris, *Wenceslaus* IIII. Boemiae Rex X. aetatis ſuae anno ſeptimo, regni vero ſui anno quinto, intrauit terram Luſatiae, recipiens omagia et iuramenta fidelitatis a Baronibus et ciuibus terrae illius, quam Pater ſuus pro regno Boemiae comparauit. Quem aſſociauit in eundo et redeundo Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, Apoſtolicae Sedis Legatus primus, legationis ſuae in eisdem partibus peragens officium, quia terra illa de dioceſi Miſnenſi exiſtit.

Eodem anno die penultima menſis Nouembris, videlicet Dominica poſt feſtum ſanctae Katherinae, in Noua ciuitate Pragenſi Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, in praeſentia Domini Imperatoris, conſecrauit Monaſterium ſanctae Katherinae in Noua ciuitate Pragenſi, quod Dominus Imperator, vt praedicitur, fundauit et aedificauit.

Eodem anno in die ſancti Andreae Apoſtoli Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, dedicauit et conſecrauit capellam, in qua requieſcit corpus ſancti Wenceslai, in Eccleſia Pragenſi, in honore ſancti Iohannis Euangeliſtae et ſancti Wenceslai, praeſente eodem Domino Imperatore. Sed dedicationem ipſius capellae celebrandam transtulit in diem tertiam poſt feſtum Natiuitatis beatae Virginis propter rubricam antiquam.

Eo-

Eodem anno in mense Decembre, Dominus 1367.
Imperator volens, vt Antiqua et Noua Ciuitates Pragenses propter bonum pacis et concordiae vnitae essent, et vno eodemque iure gaudeant, et omnes aequalia onera sufferrent, fecit rumpere valvas seu portas, turres ac muros antiquae ciuitatis, et fossata adimplere. Et factum est ita, vt mandauit et voluit Dominus Imperator.

Eodem anno Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiscopus Pragensis, reformauit aulam magnam inferius, et aliam superius, de pulchro et exquisito opere, et multa fecit necessaria commoda et aedificia in curia Archiepiscopali in Minore ciuitate Pragensi. Et turrem magnam in Rudnica per Dominum *Arnestum*, suum Praedecessorem inceptam, ipse consummauit.

Eodem anno de mense Decembri corpus Venerabilis et deuotae Matronae, *Przibislauae*, sororis germanae sancti Wenceslai, quae post mortem eiusdem fratris sui in castitate et abstinentia maxima, bonis operibus repleta, vixit Deo serviendo, in Christi confessione migrauit ad Dominum. Item corpus fidelis atque deuoti Militis sancti Wenceslai, dicti *Podywen*, qui solus omnium bonorum operum Domini sui, sancti Wenceslai, quamdiu in terris deguit, conscius et laborum particeps fuit, quique vitam suam glorioso martyrio finiuit, sepulta sunt prope capellam sancti Wenceslai ab extra in Ecclesia Pragensi circa murum, in loco ad hoc specialiter praeparato.

Eodem anno et tempore completum et perfectum est opus pulchrum, videlicet hostium magnum et porticus penes capellam sancti Wenceslai in Ecclesia Pragensi de opere sculpto et sumptuoso nimis, et sacristia noua desuper.

1367. Hiis temporibus *f*) more ſymearum, quae quidquid ab hominibus fieri conſpiciunt, facere et imitari conantur, vſurpauerunt ſibi prauam et dampnoſam aliarum terrarum conſuetudinem, et in habitu veſtimentorum receſſerunt a veſtigiis ſuorum praedeceſſorum, facientes ſibi breues et curtas, immo verius turpes veſtes, vt plerumque femoralia ac poſteriora viderentur, et ſtrictas, vt vix anhelitum poſſent habere. Circum praecordia de bombace magnam ſpiſſitudinem, vt mamillas mulierum habere viderentur. Circa ventrem ita conſtricti erant, vt canes venatici, qui veltres dicuntur, eſſe viderentur. Circa poſteriora ita ſe pluribus ligaminibus conſtringebant, vt vix lento greſſu incedere poſſent. Capuciolis etiam paruiſſimis, quorum de vna vlna panni quatuor fiebant, vtebantur, cum praetextis latis, vel literis magnis circum colla more canum campeſtrium, qui hac cautela a luporum morſibus praeſeruantur. Simili modo calceos roſtratos, et cum longiſſimis naſibus deferebant, vt male poſſent incedere vel ambulare. Et contaminata eſt terra Boemiae in hiis adinuentionibus, et malis conſuetudinibus aliis, ac ſuperſtitionibus plurimis, plusquam loqui expedit. Et tranſierunt vnus quisque in affectum cordis ſui, et laudabantur iniqui in deſideriis animarum ſuarum, et ſuperbia eorum aſcendebat ſemper.

Accidit itaque, vt de menſe proxime praeterito huius anni quidam Nobiles regni Boemiae, congregatis aliquibus gentibus ſuis, properarent Saxoniam contra Dominum de *Wedrow*, et inſtante praelio, vterque exercitus deſcendit de equis, et inceperunt praeliari pedeſtres more illivs patriae, et propter ſtrictas veſtes et roſtratos calceos Boemi deuicti ſunt ab inimicis et capti, ac

f) Addendum *Boemi*.

ic immaniter trucidati. Sibi imputent, qui ad bellum properantes artas ac ſtrictas veſtes, et roſtratos calceos domi non reliquerunt. 1367.

Anno Domini MCCCLXVIII. de menſe Ianuarii Plebanus Eccleſiae in Pilgrems, oppido Domini Archiepiſcopi, corizando et coream ducendo, ſubito mortuus eſt. Videte Clerici! quam diligit Deus corizantes, et huius exemplo mores veſtros corrigite. 1368.

Eodem anno reſpexit Deus patriam Boemiae, quae cum ſit lata, et vnicum ſuperſtitem habeat haeredem, donauit nobis et alium. Nam die XV. menſis Februarii natus eſt Domino Imperatori noſtro ex Domina *Elizabeth* Imperatrice, ſua Coniuge, filius tertius in ordine, cui nomen *Zigiſmundus* impoſitum eſt in baptiſmo. Et iuſte hoc nomine appellatus eſt, quia eius Parentes ambo, cum beatum Zigiſmundum, in Eccleſia Pragenſi quieſcentem, ſpeciali veneratione colerent, hunc filium a Deo meritis et interceſſione ſancti Martyris praedicti ſine dubitatione qualibet impetrauerunt. Cuius tumbam Imperator cum auro et argento mirifice decorauit, et in die baptizationis pueri praedicti mille florenos pro reditibus ad altare eius emendis, et capitulo Pragenſi X. marcas in portiones diſtribuendas, obtulit.

Eodem anno miſit Dominus Papa *Vrbanus* Quintus ſuos ſolempnes Ambaſiatores et nuncios ad Dominum noſtrum Imperatorem, petens omni diligentia, vt cum terrae Romanae Eccleſiae in Tuſcia et Lombardia, per iniquas ſocietates, et praecipue per *Barnabonem* de *Mediolano*, contra Deum et iuſtitiam occupentur, et indebite perturbentur, eidem et ſanctae Romanae Eccleſiae dignetur venire in auxilium. Cuius petitionibus crebris Dominus Imperator, cum ſit aduocatus

1368. catus et defensor sanctae Romanae Ecclesiae, benigne annuens, congregata maxima gentium suarum, et Alamanorum multitudine, in auxilium dicto Domino Papae contra praefatas pestiferas gentes proficiscitur, et in die Palmarum, quae fuit secunda dies mensis Aprilis, de ciuitate Pragensi, armis bellicis indutus, iter arripuit, relinquens in regno Boemiae, et terris ad ipsum spectantibus, pro Capitaneo et Gubernatore Venerabilem Patrem, Dominum *Iohannem*, Archiepiscopum Pragensem, qui temporalia et spiritualia feliciter gubernabat. Barones vero et Nobiles regni Boemiae, sequentes Dominum Imperatorem, multa dampna fecerunt in bonis Ecclesiarum et Monasteriorum. Vnde Deo permittente, multi ex eis in Italia, redeundo in via mortui sunt. Ascendit enim clamor viduarum et pauperum vsque ad coelum, et Dominus exaudit eas, et vindicat.

Et nota dignae memoriae commendandum: Cum enim nobilis Vir, Dominus *Petrus* de *Michelzberch*, cum exercitu suo sequeretur Dominum Imperatorem versus Italiam, iste Baro iuuenis transeundo intulit maxima dampna in bonis Ecclesiae Pragensis, et aliis pauperibus hominibus, quorum vlulatus atque fletus ascendit vsque ad coelum, et Dominus iustus Iudex non est delectatus in illis. Vnde post recessum suum Domina Coniunx eius; pro ipsius salute et felici reuersione, fecit votum venire ad limina sanctorum Patronorum Ecclesiae Pragensis, quod et adimpleuit. Cumque giraſſet totam Ecclesiam Pragensem, volens demum intrare Capellam sancti Wenceslai, et ibi fundere ad Dominum preces pro salute sui viri; et ecce! ipsa Capella adeo fortiter clausa est, quod Capellarius ipsam cum clauibus suis nullatenus potuit aperire. Aduocatur Dominus *Wratyborius* Decanus, et alii Canonici atque Ministri Ecclesiae Pragensis,

nſis, ſed et nullus quacunque arte potuit aperire. 1368.
ittunt pro fabro, ſed nec ille proficit, niſi to-
m hoſtium ferreum effringat. Differtur nego-
ım aperiendi et effrangendi ad tempus. Et ec-
! poſt receſſum Dominae praefatae, hoſtium
ıpellae ſolito more abſque difficultate qualibet
eritur. Mirantur omnes de iſto facto miraculo,
ıod erat praefagium futuri mali euentus. Nam
ſe Dominus *Petrus* de *Michelzberch*, quaſi eodem
mpore, quo haec acta ſunt in Praga, moritur
Italia, et mortuus defertur in Boemiam.

Talem Deus Omnipotens propter merita ſan-
orum Martyrum ſuorum Patronorum Eccleſiae
:agenſis, malefactorum eiusdem Eccleſiae reddi-
t retributionem, vt poena eorum, qui in dicto
ercitu mala morte mortui ſunt, aliis tunc vi-
:ntibus, et futuri temporis hominibus tranſiret in
emplum. Hiis et aliis glorioſis miraculis ſancti
Venceslai conſideratis, Reuerendus Pater, Domi-
ıs *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, Apoſto-
:ae Sedis Legatus, conceſſit omnibus vere poe-
tentibus, confeſſis et contritis, qui ad honorem
ſius Sancti cantionem infra ſcriptam, ab olim
ntari conſuetam, cantauerint, XL. dierum indul-
:ntiam, perpetuis temporibus duraturam. Cuius
ıidem cantionis tenor in vulgari ſequitur in haec
:rba:

Swaty Waczlawe, Wewodá Czeſke Zemye,
neze naſſchie, proſſzany Boha, Swatého Ducha,
yrieleyſon.

Nebeſke geſt Dworſtwo kroſne, blaze tomu ktoz
m poygde, zywot wieczny, oban iaſſny, Swatého
ucha, Kyrieleyſon.

Po-

1368. *Pomoczy twe zadamy, ſmyluy ſie nadnamy, vtyeſſ ſmutne, otwed wſe zle, ſwaty Wacslawe, Kyrieleyſon.* g) et debet ter cantari. etc.

Eodem tempore Dominus Imperator, cum adhuc moram faceret in Boemia, aduertit ſapienter, et inuenit, quod circa formam iuramenti in iure terrae Boemiae, quae quidem forma longa nimium et periculoſa erat, multae committebantur malitiae, atque fraudes. Volens igitur ipſe obuiare huiusmodi malitiis, et fraudes malorum deſtruere, de communi conſilio et conſenſu Baronum, Nobilium, Wladikonum regni Boemiae, huiusmodi formam iuramenti abbreuiauit, et ſic abbreuiatam ſtatuit in Iudicio terrae perpetuis temporibus obſeruandam. Et eſt forma haec: De quibus me talis inculpat, de hiis ſum innocens. Sic me Deus adiuuet, et omnes ſancti Dei. Prior vero forma et antiqua iuramenti, formabatur ſecundum formam querelae propoſitae, et ita longa erat, quod pauciſſimi poterant pertranſire. Vnde neceſſe fuit huiusmodi fraudibus obuiare.

Eodem anno die Dominico infra Octauam beati Procopii, quae fuit dies IX. menſis Iulii, Reverendus Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, et Apoſtolicae Sedis Legatus, conſecrauit hoſtium maius Eccleſiae Pragenſis. Item ipſo die conſecrauit Capellam Caeſaream in fronte noui chori Eccleſiae Pragenſis, in honore ſanctae et

g) Haec latine ita reddas:

Sancte Wenceslae, Dux Boemiae, Princeps noſter, ora pro nobis Deum, Sanctum Spiritum, Kyrie eleiſon.

Coeleſtis aula eſt pulchra, beatus ille, qui eo peruenit; vita aeterna, ignis ſerenus, Spiritus Sancti, Kyrie eleiſon.

Auxilium tuum petimus, miſerere noſtri, conſolare triſtes, depelle omne malum, ſancte Wenceslae, Kyrie eleiſon.

et indiuiduae Trinitatis, cuius anniuerſarium diem dedicationis obſeruandum annue decreuit in feſto Sanctae Trinitatis. 1368.

Eodem anno in menſe Aprili apparuit multis diebus cometa verſus plagam occidentalem, quam ſecuta eſt in vere maxima ſiccitas, et blada aeſtiualia ſatis male prouenerunt.

Eodem anno die XXVIII. menſis Iulii obiit *Bolko*, Dux Sleziae, Dominus Swidnicenſis, abſque liberis, per cuius mortem, cum non eſſet propinquior haeres ad Ducatum ſuum obtinendum, idem Ducatus et omnes terrae ſuae deuolutae ſunt iure ſucceſſionis haereditario ad Illuſtrem Principem, *Wenceslaum* Quartum, Regem Boemiae, et Dominus Imperator auctorizauit ac decretum interpoſuit, quod huiusmodi terrae ad coronam regni Boemiae debent perpetuis temporibus pertinere.

Eodem anno, in feſto Aſſumptionis beatae Virginis, incepit annus gratiae ſiue indulgentiarum in Eccleſia Pragenſi. Dominus enim noſter Imperator cultum diuinum et honorem Eccleſiae ſuae Pragenſis augens, dum alias ad ciuitatem Treuerenſem applicuiſſet, obtinuit in Monaſterio ſanctae Helenae Reginae tertiam partem pepli beatae Virginis, quod ipſa ſancta Helena de partibus Ieroſolimitanis illuc attulerat, et impetrauit a Domino Papa, quod ſingulis annis, de ſeptennio in ſeptennio, huiusmodi pars pepli populo oſtenderetur, et qui die, quo huiusmodi peplum oſtenditur, Eccleſiam ob deuotionem ingreſſi fuerint, habeant de Indulgentiis a Sede Apoſtolica tres annos et tres karenas. Et haec Indulgentia durabit perpetuis temporibus, ſemper de ſeptimo anno in ſeptimum annum, vt in bulla Papali plenius continetur. Vnde factus eſt ad Eccleſiam Pragenſem maximus concurſus populorum per totum hunc annum, etiam de alienis partibus.

Eo-

1368. Eodem anno Imperator, poſtquam feciſſet pacem inter Eccleſiam Romanam ex vna, et Mediolanenſes, et quosdam tyrannos alios ex parte alia, dimiſſo exercitu, transtulit ſe ad partes Tuſciae, vbi poſtquam aliquamdiu moram fecit, direxit viam ſuam verſus vrbem Romanam, vbi a Clero et populo magnifice ſuſcipitur. Quem Dominus Papa in breui ſubſequitur. Audiens autem Imperator aduentum Domini Papae ad vrbem, eidem cum Clero et populo exiit obuiam, atque cum magna ſolempnitate ipſum ſuſcipit. Et non immemor factorum ſuorum Praedeceſſorum katholicorum Romanorum, Imperator eorum in hac parte ſequens veſtigia, deſcendens de equo duxit Dominum Papam per froenum equi pedeſter vſque ad gradus Eccleſiae ſancti Petri. Magna humilitas tanti Principis, ſed non immerito, quia ſpe aeternae retributionis feciſſe dinoſcitur. Ait enim veritas in Euangelio: Quanto maior es, humilia te in omnibus. Et cum eſſet Chriſtianiſſimus, voluit Vicarium Ieſu Chriſti honorare. Hic tu, qui vidiſti et noſti, materiam dilata etc.

Poſt haec in die omnium Sanctorum, Dominus Papa faciens propria in perſona officium in Eccleſia ſancti Petri, Domino Imperatore praeſente, et in Maieſtate ſua ibi refulgente, ipſe Dominus Papa coronauit Dominam *Elizabeth*, Conthoralem Domini Imperatoris, in Romanorum Imperatricem cum omni ſolempnitate et gaudio. Et manſit ibidem Romae Dominus Imperator cum Domino Papa in eodem palatio apud Eccleſiam ſancti Petri a die coronationis vſque ad feſtum Natiuitatis Chriſti, tractantes et diſponentes negotia Eccleſiae et ſacri Imperii. Abinde applicuit Imperator ad ciuitatem Senys, in qua multas aduerſitates per ipſorum traditionem ſuſtinuit. Deinde

venit

venit ad ciuitatem Lucanam, in qua cum Imperatrice longam moram traxit. 1368.

Anno Domini MCCCLXIX. hyemps aſpera et longa valde. Vina etiam, quae prouenerant in Boemiae partibus, excedebant in bonitate vina Auſtralia, ex eo, quia in Boemia fuerat nimia ſiccitas, in Auſtria autem nimia humiditas fuit. 1369.

Eodem anno circa principium menſis Martii reconditum eſt caput Reuerendi Patris, Domini *Andreae*, Epiſcopi Pragenſis XVIII. in Eccleſia Pragenſi, in muro Capellae ſancti Wenceslai ſupra altare ſanctae crucis, vbi pictura et crux aurea apparent. Iſte, vt ſupra ſcribitur in ſuo loco, *Andreas* Epiſcopus, propter libertatem Eccleſiae Pragenſis, quam defendebat, in exilium relegatus, in ciuitate, quae Caſſamaro appellatur, moritur. Cuius caput Succeſſor ſuus, *Nicolaus*, Epiſcopus Pragenſis XXIII. Pragam poſtea attulit. Ob memoriam tanti Viri, et eiusdem animae diem anniuerſarii ſingulis annis peragendum inſtituit, et reditus dedit. Multi probi et antiqui viri credunt, et appellant hunc Virum, *Andream* Epiſcopum, hominem ſanctum, et referunt, quia olim claruit miraculis.

Eodem anno, in feſto oſtenſionis reliquiarum, tantus fuit concurſus hominum de alienis partibus, vt illa placza magna in noua ciuitate prope Zderazium videretur vndique repleta hominibus. Talem populum in vnum congregatum nullus vnquam vidit hominum, vt communiter referebatur ab omnibus.

Eodem anno Domino noſtro Imperatore reſidente cum ſua curia in ciuitate Luca in Tuſcia, deſtinauit ipſe Imperator gentes ſuas in auxilium Domini Papae, quae gentes congreſſae cum ſocietate apud ciuitatem Reatynam, debellauerunt atque

1369. que proſtrauerunt ipſam ſocietatem, ita, vt maior eorum pars caderet in gladio, reſidui quoque captiuati, poſtea trucidati ſunt. Factum eſt autem huiusmodi praelium et victoria de hiis iniquis et malis hominibus in die ſancti Viti, glorioſi Patroni noſtri Boemiae, eius, vt indubie credimus, ope atque auxilio. Vnde et Dominus Papa congratulando Domino Imperatori de tanta victoria, ſcripſit eidem manu propria epiſtolam etc.

Eodem anno, octo diebus ante feſtum Aſſumptionis beatae Virginis, et in ipſo feſto, iam expirante anno gratiae ſeu indulgentiarum, tantus fuit concurſus hominum ad Eccleſiam Pragenſem, qualem nulla meminit aetas.

Eodem anno die XX. menſis Auguſti, Domina *Elizabeth*, Romanorum Imperatrix, hoc anno, vt ſupra dicitur, Romae per manus Domini Papae coronata, Pragam venit, et cum omni ſolempnitate a Clero et populo in ciuitate et Eccleſia Pragenſi ſuſcipitur. Imperator vero, quia peſtilentia erat in Boemia, poſtquam reuerſus eſt de Lombardia, moratus eſt per autumpnum in partibus Poloniae. Et quia quidam Duces Sleziae vendicabant ſibi ius ſucceſſionis in Ducatu Swidnicenſi, Rex vero Poloniae computabat magna debita, in quibus ſibi Dux Swidnicenſis remanſerat obligatus, vnde Imperator volens redimere vexationem, impoſita berna generali in Boemia, perſoluit debita, et redemit ius ſucceſſionis tam a propria filia, Duciſſa Auſtriae, quam ab aliis Ducibus Sleziae, et datis hinc inde literis iurauerunt Barones et ciuitates Ducatus eiusdem *Wenceslao*, Regi Boemiae Quarto, filio Imperatoris, ad coronam regni Boemiae perpetuo et inſeparabiliter ſpectare.

Item eodem tempore emit Imperator in terra Aduocatorum verſus Miſnam et Turingiam plura caſtra fortiſſima pro regno Boemiae, et dilatatum

eſt

eſt regnum et ampliatum ad omnes partes ve- 1369.
hementer.

Eodem anno die V. menſis Nouembris recondita ſunt duorum Praeſulum Eccleſiae Pragenſis oſſa in Capella ſanctorum Symonis et Iudae in eadem Eccleſia Pragenſi, videlicet Cozmae et Iohannis Primi. Quia fractis muris antiquae Eccleſiae oportebat neceſſario illa in alium locum transferri et collocari.

Eodem anno in feſto Conceptionis beatae Virginis Mariae mortuus eſt egregius praedicator, frater *Conradus*, Canonicus regularis, Rector Eccleſiae ſanctae Mariae ante laetam curiam in ciuitate Pragenſi, et ibidem in cimiterio ſepultus. Hic cum eſſet natione de Auſtria, vir magnae literaturae, et maioris eloquentiae, veniens Boemiam, videnſque homines nimiae voluptati deditos, et in multis, vt ſupra meminimus, excedere metas ſuas, praedicatione ſancta ſua correxit mores hominum patriae noſtrae, ita, vt multi obmiſſis vanitatibus ſeculi, ſedula mente Deo ſeruirent. Inter multa alia bona, quae hic vir fecit, vnum magnum et memoria dignum fecit, vt mulieres ciuitatis Pragenſis, quae ante haec tempora magna et multum ſuperba pepla, nec non veſtes ſuperbiſſimis modis exquiſitas deferebant, illa et illas deponerent, et ſatis humili habitu omnibus diebus huius Praedicatoris, et Doctoris eximii vterentur. Hic etiam praedicabat intrepide contra vſurarios, et aliòs male fidei poſſeſſores, et ſpecialiter contra religioſas perſonas vtriusque ſexus, quae per ſymoniacam prauitatem fuerant ad Ordines receptae. Vnde cum multae huiusmodi perſonae, hac ſancta praedicatione compunctae, diſpenſationem a Sede Apoſtolica peterent, et vlterius ſuos pueros alii ad Ordines cum pacto tradere detrectarent, inſurrexerunt omnes Fratres Ordinum

1369. Mendicantium contra hunc, et plurima conuitia eidem intulerunt. At ille, cum eſſet vir perfectae caritatis, omnia aequo animo ſuſtinuit pro Domino, et in bona confeſſione migrauit ad Chriſtum. Requieſcat in pace. Amen.

Eodem tempore aduertens Imperator, quia caſtrum Pragenſe, in quo habebat magnum theſaurum, et multiplices Sanctorum reliquias, non erat firmatum, et praecipue a parte meridionali, vnde fecit fieri grande foſſatum inter ipſum caſtrum, et Minorem ciuitatem Pragenſem, et valde neceſſarium.

Eodem anno, vt ſupra meminimus, permittente Deo propter peccata populi, fuit maxima peſtilentia in Boemia, et praecipue in plaga illa verſus Auſtriam, et durauit per annum integrum. Et cum appropinquaret Pragam, et ibidem incepiſſet etiam inualeſcere, indictae ſunt proceſſiones et ieiunia, et placatus eſt Dominus Deus patiens et multum miſericors, et ceſſauit continuo peſtilentia, quia humiliati ſunt homines more Niniuitarum. Nota, quomodo contra iram et indignationem Dei valet humiliatio et poenitentia etc.

1370. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo. Poſtquam Dominus Imperator, Princeps pacis, in partibus Italiae longam traxiſſet moram, procurans pacem et tranquillitatem Eccleſiae Romanae et ſacri Imperii, poſt multos labores et tribulationes, quas ibidem paſſus eſt, reueniens Boemiam, ad dulce natale ſolum, in die Epiphaniae Chriſti intrauit caſtrum et Eccleſiam Pragenſem cum omni humilitate ac deuotione, et ſuſceptus eſt a Clero et a populo cum magna laetitia et iocunditate.

Eo-

Eodem tempore Dominus Imperator multum affectus ad ſtudium generale, et ſtudentes in Praga, comparauit pro C. marcis centum et XIIII. volumina librorum ſacrae Theologiae et Iuris canonici, ac aliarum artium liberalium, qui libri fuerant venerandae memoriae Domini *Wilhelmi*, Decani Wiſſegradenſis, hoc anno defuncti, quos idem in Auinione, et in aliis diuerſis mundi partibus comportauerat. Et illos libros donauit Dominus Imperator pro collegio ſtudentium in Praga. Et dilatatum eſt ipſum ſtudium, et diuulgatum in omnibus partibus et terris adiacentibus eo, quod Imperator diligeret eos, et ſpecialibus fauoribus eosdem proſequeretur. Vt autem eo ferventius ſtuderent ſtudentes ſtudii Pragenſis, quo ſe ſentirent in proximo ad beneficia promoturos, fecit, et ſuis confirmauit literis Imperator, vt ad Praelaturas et Praebendas Eccleſiae ſeu Capellae regalis omnium Sanctorum in caſtro Pragenſi, per ſucceſſores ſuos Reges Boemiae perpetuis temporibus non praeſentarentur alii, quam Magiſtri de collegio ſtudentium ſtudii Pragenſis. Et illi duntaxat, et non alii, ad huiusmodi beneficia inſtituuntur ex conceſſione regia, et confirmantur. Et Dominus Papa *Vrbanus* Quintus hanc ordinationem Caeſaris ſuis ſpecialibus Priuilegiis confirmauit, et obſeruandum ſanciuit perpetuis temporibus ſecuturis. 1370.

Eodem anno Dominus noſter Imperator emit in terra Luſaciae oppidum quoddam, ſitum ſuper flumen Odra, et prope ciuitatem Frankenfurd, quod quidem oppidum vocatur lingua eorum Furſtenberch, vbi ſuper ripa dicti fluminis conſtruxit caſtrum firmum nimis, et ipſum oppidum muniuit, et trans flumen pontem conſtruxit. De hoc facto conturbati ſunt Principes et potentes illarum partium valde. Vt autem labor huiusmodi

1370. ibidem proficeret, Dominus Imperator moram illic traxit fere per totum tempus Veris.

Eodem anno, ſabbato ſancti Viti Martyris, die videlicet XXII. menſis Iunii, natus eſt filius Domino noſtro Imperatori ex Coniuge ſua, Domina *Elizabeth*, et hoc in caſtro Pragenſi, hora diei quaſi in veſperis, cui nomen impoſitum eſt in baptiſmo *Iohannes*, propter feſtum beati Iohannis Baptiſtae, quod ſequebatur, vel propter virtutes et memoriam Aui ſui, olim Domini *Iohannis* Regis Boemorum.

Eodem anno die VII. menſis Iulii in praeſentia Domini noſtri Imperatoris, et Domini noſtri *Wenceslai*, Regis Boemiae, filii ſui, Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Pragenſis, et Apoſtolicae Sedis Legatus, fecit conſecrari Capellam ſuam nouam, per ipſum de novo nuper miro et pulchro ac venuſto opere in curia ſua Archiepiſcopali in Minori ciuitate Pragenſi in ſuperiori Aula ſiue ſala factam in honore Armorum Chriſti. Cui conſecrationi interfuerunt multi alii Epiſcopi atque Principes ſeculares, quibus magnificum ipſa die praeparatum eſt conuiuium ibidem. Et in breui poſt hoc Dominus Imperator tranſiuit ad partes Reni, vbi copulauit filiam *Alberti*, Ducis Bauariae et Comitis Holandiae, filio ſuo, Domino noſtro *Wenceslao*, Regi Boemiae.

Eodem anno circa feſtum Aſſumptionis beatae Virginis facta eſt maxima inundatio aquarum inBoemia, ita quod flumen Wltaua excedens metas ſuas occupauit partem magnam Antiquae ciuitatis Pragenſis, et fecit multa dampna hominibus in campis, et in villis prope alueum ſuum ſituatis, et praecipue in ciuitate Pragenſi, fuit enim annus iſte totus pluuioſus.

Eo-

Eodem anno Dominus noſter Imperator, quo- 1370.
niam ad ipſum confluebant Principes, et Proce-
res ac Nobiles de omnibus partibus mundi, vo-
lens oſtendere magnificentiam gloriae regni ſui
Boemiae, fecit cooperiri duas turres regales in
caſtro Pragenſi, vnam ad Orientem, aliam ad Oc-
cidentem, cum plumbo et auro deſuper, ita, vt
eaedem turres lucerent et reſplenderent tempore
ſereno ad longam valde diſtantiam.

Eodem etiam tempore fecit ipſe Dominus
Imperator fieri et depingi ſupra porticum Eccle-
ſiae Pragenſis de opere vitreo more graeco, de ope-
re pulchro et multum ſumptuoſo.

Eodem anno, die Dominico in craſtino ſan-
cti Laurentii Martyris, Sereniſſimus Princeps,
Wenceslaus IIII. Boemiae Rex, vocatus ad curiam
Imperialem per patrem ſuum Dominum Impera-
torem in Nurenberch, adiit eandem ciuitatem
cum gentium ſuarum multitudine, et in ſuo in-
troitu, more ſuorum Auorum, olim Principum
ac Regum Boemiae, fecit fieri ignem copioſum
in duobus locis, vt cunctis pateret aduentus Re-
gis Boemiae. Habent namque ab antiquo Princi-
pes et Reges Boemiae, vt vocati ad curiam Impe-
rialem, in flamma et igne veniant, propterea ete-
nim deferebant antiquitus aquilam nigram in flam-
ma ignis, et campo albo, quae adhuc hodie ſunt
arma terrae Boemiae. Cauſa forte huiusmodi in-
dulti fuit, ne Princeps vel Rex Boemiae ex leui
quacunque cauſa ad curiam ſummi Principis vo-
caretur. Dederunt autem obuiam ipſo die Re-
gi Boemiae omnes Principes Alamaniae, et No-
biles atque ciues, qui ibi aderant, et exceperunt
ipſum cum ingenti ſolempnitate et gaudio immen-
ſo. Quibus omnibus ipſe poſt hoc fecit die ter-
tia conuiuium magnum nimis, et reſonauit fama
ſua plurimum in partibus illis et locis vicinis.

1370. Eodem anno ad feſtiuitatem ſancti Wenceslai pauciſſimi conuenerant homines, karitas enim et deuotio refriguerant, et homines dati delitiis, Deum et Sanctos eius, vt ſic dicam, minus venerabantur. Vnde permiſſione diuina, maxima peſtilentia fuit in omnibus partibus et finibus Boemiae.

Eodem tempore Dominus *Vrbanus*, Papa Quintus, videns, quia Romae et in partibus illis, Eccleſia Romana propter duritiam et malitiam populi illarum terrarum nihil proficeret, ſed magis ſibi et ſuis pericula imminerent, curiam ſuam, et ſe ipſum cum toto collegio, et proſpere abſque omni impedimento, reuerſus eſt in Auinionem.

Eodem anno, die Dominico infra Octauam ſancti Martini, quae fuit XVII. dies menſis Novembris, Sereniſſima Domina *Iohanna*, filia *Alberti*, Ducis Bauariae, et Comitis terrae Holandiae, ex parte autem Matris filia filiae *Ludwici*, Ducis Sleziae et Domini Legnicenſis, praeuia diſpenſatione legitima Sedis Apoſtolicae, quia erat conſanguinea Domini noſtri Imperatoris, copulata pridem in Nuremberga Domino noſtro *Wenceslao*, Regi Boemiae, nunc cum maxima ſolempnitate coronata eſt in Reginam Boemiae in Eccleſia Pragenſi per Venerabilem in Chriſto Patrem, Dominum *Iohannem*, Archiepiſcopum Pragenſem, Apoſtolicae Sedis Legatum, aſtante ibidem Domino noſtro Imperatore, et filio ſuo, Domino *Wenceslao*, noſtro Rege, in ſua Maieſtate, et factum eſt conuiuium maximum per continuos octo dies in caſtro et ciuitate Pragenſi.

Eodem anno Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus *Iohannes*, ſanctae Pragenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, Apoſtolicae Sedis Legatus, conſiderans pia deuotaque mente, quia Clerici pauperes Eccleſiae Pragenſis, et etiam aliarum partium ſuae dioceſis, in ſuis infirmitatibus non ha-

habebant, vbi poſſent reclinari, ſed cogebantur 1370.
ſic infirmi tranſire ad hoſpitalia communia laicorum, qui tamen Clericis oppido ſolent eſſe infeſti, fundauit hoſpitale pro huiusmodi pauperibus infirmis Clericis in Hraczano ante caſtrum Pragenſe, de ſumptuoſo et firmo opere, et illud dotauit lectiſterniis, clenodiis, cenſibus et aliis neceſſitatibus ſufficienter.

Eodem anno feria V. ante feſtum Natiuitatis Chriſti, quae fuit dies XIX. menſis Decembris, Dominus *Vrbanus*, Papa Quintus, in ciuitate Auinionenſi clauſit diem extremum, et die penultima menſis eiusdem electus eſt concorditer in Romanum Pontificem ibidem, Dominus *Petrus* Bellifortis Cardinalis. Cui nomen eſt impoſitum *Gregorius* XI. amicus ſpecialis Domini noſtri Imperatoris.

Anno Domini MCCC ſeptuageſimo primo. 1371.
Hiemps ſatis calida et temperata.

Eodem anno Dominus Imperator celebrauit Paſcha in caſtro Pragenſi cum Sereniſſima Domina *Elizabeth* Imperatrice, ſua Coniuge. Quae quidem Domina Imperatrix adeo fortis erat in manibus, vt circa idem tempus in praeſentia multorum Principum, et Baronum atque Nobilium ſibi afferri mandaret vnum babatum nouum, fabricatum pro magno ſpadone, et hoc ipſum babatum ipſa Domina propriis ſuis manibus confregit, quod quidem babatum alii fortiſſimi viri circumſtantes adhibitis omnibus viribus ſuis mouere quidem non potuerunt, Omnes viros etiam fortiſſimos haec Domina ſuis viribus, quantum ad fractionem ferrimentorum quorumcunque, vincebat. Nec ſemel tantum hoc tempore, quo ego haec ſcribens vidi, illa faciebat, verum etiam aliis temporibus praeteritis, et poſtea pluribus vicibus, haec,

1371. et hiis maiora propriis viribus faciebat, ita, vt nullus fortiſſimorum virorum in hiis ei ſe aſſimilare audebat. Cultellos etiam ſpiſſos et valde groſſos Militum et cocorum confringebat manibus, ceu vnam rapulam. Inſuper et loricas ſeu panczeria Militum et Curienſium Domini Imperatoris laniabat a ſummo vſque deorſum, de cuius fortitudine omnes amirabantur, dicentes, quod a tempore Lubuſſiae fortior non fuiſſet mulier in Boemia. Et quamuis, vt dictum eſt, fortiſſima eſſet viribus corporis, non tamen de hoc gloriabatur, neque eleuabatur in corde ſuo, ſed vires ſuas Altiſſimo aſcribens, non ſemper eas exercebat, niſi quando mandabat Dominus Imperator.

Praecaetera clementiſſimus Imperator attendens prudenter dictum Prophetae, dicentis: Si feceritis iudicium inter virum et proximum eius, aduenae et pupillo et viduae non feceritis calumpniam, habitabo vobiſcum. etc. Et alibi: Beati, qui faciunt iudicium et iuſtitiam in omni tempore etc. ipſe Princeps in ſeptimana paſſionis Chriſti, et poſtea in ſeptimana Paſchali, et ſequentibus temporibus praeſedit perſonaliter iudicio in anteriori porta curiae regalis in caſtro Pragenſi, audiens et difiniens cauſas pauperum, orphanorum et viduarum, et faciens iudicium et iuſtitiam abſque morae diſpendio vnicuique conquerenti. Magnum et memorabile in hoc relinquens exemplum ſuis haeredibus et ſucceſſoribus, Regibus Boemiae, vt et ipſi in hoc eius ſequentes exempla, cauſas pauperum ſuorum non ſemper delegare, ſed magis frequentius ſtudeant per ſe ipſos audire, et iuris tramite diffinire. Saepe etenim Iudices in cauſis pauperum delegati, propter amorem, odium, vel etiam timorem potentum, quos ipſae cauſae concernunt, non praeſumunt, vel ſaltem differunt cauſas huiusmodi, diffinire. Expedit itaque, vt

Prin-

rinceps terrae non per alios, ſed per ſe ipſum ex- 1371.
mplo huius glorioſi Imperatoris cauſas pauperum,
uanto frequentius poteſt, audiat et diffiniat, pro-
t voluerit a Deo Omnipotente, et in praeſenti,
t in futuro mercedem pro bonis actibus obti-
ere.

Eodem anno, Dominica, qua canitur Canta-
e, quae fuit dies quarta menſis Maii, Reueren-
us in Chriſto Pater, Dominus *Iohannes*, ſanctae
ragenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, Apoſtolicae
edis Legatus, dedicauit et conſecrauit Eccleſiam
ollegiatam ſancti Aegidii in Maiori ciuitate Pra-
enſi. Quam quidem Eccleſiam aedificare inchoauerat beatae recordationis, Dominus *Iohannes* Quartus, Epiſcopus Pragenſis XXVII. cui conſecrationi interfuit Dominus noſter Imperator.

Eodem anno die X. menſis Maii, quae fuit ſabatum poſt Dominicam Cantate, Deo permittente ropter peccata populi, ciuitas Slana, dum in ipſa d diem forenſem maxima multitudo congregata uiſſet, igne familiari ſuccenſa, totaliter cremata ſt, in qua interierunt vltra duo millia hominum. ubito enim irrepſit ignis afflante vehementi ven-, et incenſa in multis locis tota ciuitate, currus, ui cum bladis ad forum venerant, occuparunt laczam, plateas et portas ciuitatis adeo, vt pau-i euadere potuiſſent; et perierunt morte miſera-ili tam homines, quam iumenta. In multis etiam ocis aliis eo tempore ignis fecit magna dampna, uia tempus fuit totum ſiccum, et venti validi, t homines tanquam irrationabiles abſque cautela.

Eodem anno et tempore, Dominus Impera-or, dum eſſet in caſtro ſuo Carlſtein, incidit in aximam infirmitatem, ita vt Medici de eius conaleſcentia omnino deſperarent. Videns autem omina Imperatrix, ſua Coniunx, ipſum conſtitu-m in mortis articulo, et nullum ſibi prodeſſe

ſola-

1371. ſolamen Medicorum, fidenti corde confugit ad auxilium beati Martyris Zigismundi. Votum vouit tranſire pedes de Karlſtein Pragam ad ſepulchrum ſancti Zigismundi, et offerre ibi pro ſalute Domini ſui octo ſcutellas puri auri, aliter XXIII. marcas auri, et V. Lot. continentes in valore ſedecim centena et quinquaginta florenos auri puri, pro capite ſancti Zigismundi. Quo expleto voto, et oblato auro pro fiendo capite ſancti Zigismundi, per gratiam Dei et ſancti Zigismundi merita reſtitutus eſt Dominus Imperator priſtinae ſanitati.

Eodem anno die octaua menſis Iunii, Reuerendus Pater, Dominus *Iohannes*, ſanctae Pragenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, conſecrauit altare maius in Monaſterio ſancti Georgii in caſtro Pragenſi, in honore ſancti Georgii, et ſanctae Ludmillae Martyris. Item poſt haec die XV. menſis eiusdem conſecrauit capellam nouam in magna turri in caſtro ſuo Rudnicz in honore beatae Mariae Virginis, et ſanctorum Patronorum Eccleſiae Pragenſis: Viti, Wenceslai, Adalberti atque Zigismundi.

Eodem anno perfecta eſt pictura ſolempnis, quam Dominus Imperator fecit fieri in porticu Eccleſiae Pragenſis, de opere Moyſaico more Graecorum, quae quanto plus per pluuiam abluitur, tanto mundior et clarior efficitur.

Eodem anno die XXII. menſis Iunii Reuerendus Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Maguntinus, quem Dominus Imperator pridem ad eandem promouit Eccleſiam, fecit omagium Domino Imperatori cum panderiis in medio ciuitatis Pragenſis. Vbi vero magnam Dei erga nos, et terram Boemiae clementiam, vt qui paulo ante, tanquam Metropolita conſueuerat coronare et invngere Reges Boemiae, item retroactis temporibus Archiepiſcopi Maguntini confirmabant electio-

nes

nes Epiſcoporum Eccleſiae Pragenſis, et eosdem 1371.
conſecrabant, ac etiam in poſſeſſionem iure Metropolico mittebant. Nunc vero diuina gratia fauente, de iuſſu Domini Papae, et Domini Imperatoris, Venerabilis in Chriſto Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus ſanctae Pragenſis Eccleſiae, poſt omagium factum in Praga, vt praefertur, tranſiit perſonaliter Maguntiam, et Archiepiſcopum ipſius Eccleſiae mittit in corporalem poſſeſſionem ſpiritualium et temporalium. Deo gratias.

Vbi etiam diligenter aduertendum, et dignum memoriae commendandum, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita, quod Dominus Deus pro hiis, qui illum ex toto corde ſuo, et ex tota anima ſua, et ex omnibus viribus ſuis diligunt, pugnat etiam inuiſibiliter, dum eorum aduerſarios abſque pugna et ſanguinis effuſione tollit de medio. Licet enim Dominus Papa, *Vrbanus* Quintus, a principio ſuae promotionis maximus fuiſſet amicus Domini Imperatoris, tamen, quia Dominus Imperator non potuit, vel potius propter nimiam ſanguinis effuſionem, noluit exterminare *Barnabonem* de *Mediolano*, contra quem ipſe Dominus *Vrbanus*, licet in aliis factis ſuis fuerit iuſtus, imo etiam poſt mortem in miraculis glorioſus, concepit ſimiliter indignationem non modicam contra Dominum Imperatorem ante obitum ſuum forte annis duobus. Cui fauentes in hoc *Kazimirus*, Rex Poloniae, et de —— *Naſſaw*, Archiepiſcopus Maguntinus, facti ſunt Domino noſtro Imperatori capitales inimici. Deus autem, qui ſperantes in ſe non derelinquit, praefatos Dominum Papam *Vrbanum*, virum vtique iuſtum et ſanctum, et *Kazimirum*, Regem Poloniae, nec non et Dominum —— de *Naſſaw*, Archiepiſcopum Maguntinum, de praeſenti anno,

ante

1371. ante natale Christi omnes tres infra vnius anni quartale vocauit de hoc mundo. In cuius locum, vt praedicitur, Dominus Imperator promouit ad Ecclesiam Maguntinam hunc Dominum *Iohannem*, de quo sermonem incepimus, natione de Lucemburga, suum consanguineum, qui pridem fuerat Episcopus Ecclesiae Argentinensis.

Eodem anno de mense Iulio et Augusto, Dominus noster Imperator mouit exercitum contra Generum suum, *Ottonem*, Marchionem Brandeburgensem, qui fecerat ligam et conspirationem cum Rege Hungariae *Lodeuico* contra Dominum nostrum Imperatorem. Et transeuntes ad expeditionem huiusmodi, fecerunt inaudita et insolita dampna pauperibus hominibus. Nunquam enim extranei vel alienigenae, si terram intrassent, tanta dampna pauperibus intulissent. Ecclesias etiam Christi, ad quas pauperes cum rebus suis confugerant, hostiliter expugnabant, et quas expugnare non poterant, incendebant, et quidquid poterant, diripiebant. Mulieres et viduas pauperculas vestibus suis expoliabant; rusticos pauperes pro pecuniis martyrizabant; in curiis Ecclesiarum et Monasteriorum blada extritulantes, vna cum curribus, et equis ac pecoribus, ad propria remittebant. Sicque diuagantes per terram, et villas depactantes *b*), inaestimabilia et irrecuperabilia dampna pauperibus hominibus intulerunt. Vnde infiniti coacti sunt mendicare panem, qui pridem competentem habuerunt necessitatem. Insuper cum omnis homo teneatur compati proximo suo, hic non fuit aliquis, qui pauperes Christi vindicaret, vel malefactores Ecclesiarum prohiberet. Sed quod quisque male respicit, sibi vt proprium vendicabat. Quid dicam? Laudo gentem propriam; in hoc non laudo, quia quemadmodum patres olim

b) Id est *spoliantes* vel *depraedantes*.

olim eorum, ſic et nunc iſti conuerſi ſunt in ar- 1371.
cum prauum, tantas immanitates in pauperibus Chriſti committendo. Aſcendit igitur clamor pauperum hominum propter violentias et iniurias ſibi illatas vſque ad aures Omnipotentis, et deſcendit eius indignatio ſuper regnum Boemiae, et immiſit Dominus peſtilentiam grauiſſimam in omnibus terris et prouinciis Boemiae, et mortua ſunt infinita millia hominum, et ſicuti non fuit, qui ſe abſconderet a ſupradictis latronibus, ſic commune fuit morbo peſtilentiali mori ipſis raptoribus, et Deus ſolus vindicauit cauſas pauperum ſuorum.

Anno Domini MCCCLXX. ſecundo, reſpexit 1372.
Deus afflictionem populi ſui, et redemptionem atque pacem miſit hiis, qui pridem per gwerras grauiter fuerant afflicti et cruciati. Namque de menſe Martii, Domino Imperatore exiſtente in Wratislauia, miſit *Ludwicus* Rex Vngariae ſolempnes Ambaſiatores ad Dominum Imperatorem, petens, vt filia ipſius Regis Vngariae, nomine *Maria*, copularetur filio Domini Imperatoris *Sigismundo*. Et facta eſt pax inter Dominum noſtrum Imperatorem ex vna, et Regem Vngariae, et Duces Bauariae parte ex altera, et laetati ſunt vniuerſi.

Eodem anno, ſabbato ante Dominicam Iudica, quae fuit XIII. dies Martii, hora quaſi tertiarum, Dominus Deus dedit prolem maſculini ſexus Domino noſtro Imperatori. Nam Coniunx ſua praeclariſſima, Domina *Elizabeth* Imperatrix, genuit filium elegantis formae, cui nomen impoſitum eſt *Karolus* in baptiſmo.

Eodem anno, Dominus Imperator reuerſus de partibus Sleziae, celebrauit Paſcha in caſtro Pragenſi, vbi in die Palmarum in praeſentia di-

1372. &i Domini Imperatoris conſecrauit palmas Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Patriarcha Alexandrinus, miſſus per Dominum Papam ad Caeſarem in quibusdam arduis negotiis Eccleſiae Romanae. Et hic idem Patriarcha fecit in Eccleſia Pragenſi officium in die Paraſcheuen ſequenti, et in Sabbato ſancto benedixit fontem, ac propriis manibus baptizauit filium Domini Imperatoris nuper genitum, cui, vt praedicitur, nomen impoſuit in baptiſmo *Karolus*. Ipſe etiam Patriarcha fecit in die Paſchae officium ſummae Miſſae in Eccleſia Pragenſi cum ſermone latino ad Clerum, cui aſtitit Dominus Imperator in Maieſtate Caeſarea, ibidem Imperialibus inſigniis decoratus, et penes Dominum Imperatorem filius ſuus *Wenceslaus*, Rex Boemiae, ſimiliter in ſua regali Maieſtate; Item praeclarus Princeps *Wenceslaus*, Dux Saxoniae, Archimarſchalcus Imperii, miniſtrantes Caeſareae Maieſtati in officiis ſuis. Item ex alio latere aſtiterunt Caeſari Venerandus Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiſcopus Maguntinus, Electores ſacri Imperii; ac Venerabiles Patres, Domini Pragenſis, nec non Strigonienſis, Archiepiſcopi, atque Metenſis, Auguſtenſis, Pariſienſis et Nemburgenſis Epiſcopi, et alii Principes ſeculares plurimi, inter quos fuerunt Ambaſiatores Regis Vngariae, Strigonienſis Archiepiſcopus praefatus, Dux quoque Opuliae, Comes Palatinus Vngariae.

Eodem anno feria ſecunda poſt Paſcha Reverendus in Chriſto Pater, Dominus *Iohannes*, ſanctae Pragenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, Apoſtolicae Sedis Legatus, conſecrauit Monaſterium Sclauorum, Ordinis ſancti Benedicti in Noua Ciuitate Pragenſi per praefatum Dominum Imperatorem fundatum, de miro quoque opere conſum-

ſummatum, atque magnifice dotatum. Cui de- 1372.
dicationi interfuerunt ipſe Dominus Imperator, et Principes ſupra nominati.

Eodem anno de menſe Iunii accidit vnum notabile, et dignae memoriae commendandum. Cum enim quaſi omnes iuuenes Nobiles vanitati dediti, communiter deferrent calceos roſtratos, ſeu cum longis naſis, Deus Omnipotens, cui ſuperbia hominum diſplicet, volens oſtendere ſibi et hanc vanitatem non placere, permiſit, vt fulmen de coelo veniens, ſubito roſtra huiusmodi calceorum, ſiue naſus in pedibus cuiusdam Nobilis, *Alberti* de *Slawetin* iunioris, Purchrauii in caſtro Coſczal prope Luthomericz, et ſuae coniugis ſimul et ſemel in eodem caſtro vno ictu amputaret in amborum pedibus, et nihil noceret perſonis eisdem, niſi quod perterritae, amplius in caſtro eodem permanere non praeſumpſerunt. Sed maxima hominum pertinatia, licet hoc grande miraculum omnibus hominibus euidenter pateret, nullus tamen ab huiusmodi vanitate ceſſauit. Sed contra Deum ceruices eleuantes deferebant amplius curtas veſtes, et calceos roſtratos.

Eodem anno et tempore, Domino Imperatore exiſtente in Maguntia, quidam ſui Curienſes, luſores taxillorum, in ludo huiusmodi fecerunt inſolentiam contra aliquos de ciuitate, qui in iram prouocati, ſubito congregatis panderiis irruerunt in iſtos, et fugientes ad hoſpitium Dominae Imperatricis perſecuti ſunt hoſtiliter, et vnum ex noſtris, qui ad lectum Dominae Imperatricis confugerat, ibidem in lecto interfecerunt. Alios etiam plures vulnerauerunt, et peruenerunt vſque ante hoſpitium Domini Imperatoris cum tumultu huiusmodi. Tandem venientes Maiores ciuitatis, compeſcuerunt cum difficultate plebeios, et vindictam poſtmodum magnam in

1372. ſuos fecerunt. Et Dominus Imperator ſimiliter repulſt luſores huiusmodi de curia ſua, et cives gratiam Domini Imperatoris, et Dominae Imperatricis, cum difficultate maxima vix impetrauerunt. Abinde procedens Dominus Imperator Aquisgrani liberauit de captiuitate fratrem ſuum *Wenceslaum*, Ducem Brabantiae ac Lucemburgenſem, qui anno proximo praeterito fuerat per Ducem Iuliacenſem in bello captus. Deinde Dominus Imperator reuerſus Pragam, fecit decorari capellam ſancti Wenceslai in Eccleſia Pragenſi cum picturis, auro, gemmis et lapidibus pretioſis ad honorem Dei, et ſancti Wenceslai Martyris, ſui protectoris et adiutoris.

Eodem anno Domino Imperatore exiſtente in partibus Reni, cecidit ſibi vnus dens molaris tempore dormitionis ſuae abſque omni dolore, et alius dens in eius locum ſuccreuit, ipſo Domino Imperatore exiſtente in LVII. anno ſuae aetatis. Res haec noua, et ſatis inaudita, vt in tali aetate dentes recreſcant, et tamen veritatem ſcribo, quia ſic vidi.

Eodem anno et menſe, Dominus Imperator ductus conſilio quorundam Presbyterorum ſecularium, qui pro illo tempore verbum Dei praedicando in ciuitate Pragenſi multa bona faciebant, et de quorum operibus bonis, et conuerſatione laudabili poſt mortem eorum dicetur, fecit deſtrui lupanar antiquum in ciuitate Pragenſi, qui locus Venetiae dicebatur. Et eiectis inde mulierculis, fecit fieri oratorium in honore beatarum Mariae Magdalenae, Affrae, et Mariae Aegiptiacae.

1373. Anno Domini MCCCLXXIII. Dominus Imperator celebrauit Paſcha in Pragenſi Eccleſia et caſtro.

Eo-

Eodem anno Dominus Imperator, quia *Otto*, 1373.
Marchio Brandeburgenſis, Gener ſuus, non tenebat promiſſa ſua, quia haeredibus carebat *i* devolueretur ad pueros Domini Imperatoris. Sed expreſſe veniens contra pacta et placita fecit iurare ciuitates illius terrae *Friderico*, Duci Bauariae, ſuo Patruo, et Dominum Imperatorem et filios ſuos, quibus tamen prius ciuitates iurauerant, omnino excluſit. Vnde Imperator, congregato exercitu, intrauit terram Brandeburgenſem in manu forti nimis. Et cum aquiſiuiſſet caſtella quaedam et ciuitates, videns idem Marchio ſe fraudari ſpe, quam habuit in auxilio Regis Vngariae, reſignauit terram Brandeburgenſem in manu Domini Imperatoris et filiorum ſuorum perpetuis temporibus, renuncians omni iuri, quod ſibi aut ſuis poſteris ſeu Patruis, Ducibus Bauariae, competere poſſet in futurum. Et veniens Pragam per traditionem Panderii terrae Brandenburgenſis, ceſſit libere filiis Domini Imperatoris de eodem Marchionatu. Vbi Dominus Imperator inueſtiuit filios ſuos, videlicet *Wenceslaum* Regem, *Sigiſmundum* et *Iohannem*, fratres eiusdem Regis, adhuc in infantia conſtitutos, nec non eis non exſtantibus, Dominum *Iohannem*, Marchionem Morauiae, et filios ſuos *Iodocum*, *Iohannem* dictum *Sobeslaw*, et *Procopium*, per traditionem vexilli ipſius terrae de eodem Marchionatu Brandeburgenſi, praefato *Ottone* conſentiente et rogante. Cui *Ottoni* dedit Imperator Sulczbach caſtrum cum ciuitate. Item Hersweld, item Hersbruch, item Lauff ciuitates, nec non Flos et Stauf caſtra in Bauaria, et multas addidit pecunias, quarum numerum reſcire fuit difficile. Et ſic terra Brandeburgenſis inaeſtimabilis bonitatis atque precii remanſit filiis Domini

i) Quaedam omiſſa videntur.

1373. Imperatoris ſupradictis, aut eis ſine liberis decedentibus, filiis Domini Marchionis Morauiae haereditario iure poſſidenda.

Eodem anno et tempore, quo Imperator moram cum ſuis gentibus faceret in Brandeburg, captantes horam opportunam Duces Bauariae, intrauerunt ſubito et furtiue Boemiam penes Tuſtam, cremauerunt ſuburbium ipſius ciuitatis cum XIII. villis, et ipſo die de Boemia receſſerunt. Non ſcribo dampnum, ſed confuſionem terrae illatam, et negligentiam eorum, qui male ſuas mètas cuſtodierunt.

Eodem anno in vigilia Iacobi mortuus eſt *Karolus*, filius Imperatoris, aetatis ſuae anno ſecundo.

Eodem anno circa feſtum Natiuitatis beatae Virginis mortua eſt filia Domini Imperatoris, nomine *Elizabeth*, quam habuit *Albertus*, Dux Auſtriae, abſque prole.

Eodem anno in feſto ſancti Michaelis nata eſt Domino Imperatori filia, nomine *Margaretha*.

Eodem anno de menſe Decembri, iubente Domino Imperatore, translata ſunt corpora antiquorum Principum et Regum Boemiae de antiquis ſepulchris ſuis, et poſita ac tumulata in novo choro Eccleſiae Pragenſis. Primo in capella ſanctae Trinitatis, quae dicitur capella caeſarea, ad manum dextram introitus ipſius Capellae tumulata ſunt corpora *Brzecyslai*, Ducis Boemiae, filii *Odalrici*, cum Coniuge ſua *Iuditha*, quam rapuerat de monaſterio, vt in Cronica legitur. Item ad manum ſiniſtram iacet *Spitigneus*, eiusdem *Brzecyslai* primogenitus, qui fuit dilatator Eccleſiae Pragenſis. Item in capella ſancti Anthonii ad manum dextram introitus iacet *Brzecyslaus* iunior, Primogenitus olim *Wratislai* primi Regis, quem *Brzecislaum* interfecerunt *Wirſ-*

ſoui-

ſouicenſes, redeuntem de venatione in Sbeczna. 1374.
In ſiniſtra vero parte eiusdem capellae iacet *Borzywogius*, filius *Wratislai* Regis, qui *Borzywogius* dedit laetam curiam cum ſuis libertatibus Eccleſiae et Capitulo Pragenſi. Item in capella ſanctae Dorotheae, quae appellatur Ducis Saxoniae, in introitu iacet *Przemisl*, tertius Rex Boemiae, ad manum dextram; in ſiniſtra vero parte iacet *Przemisl*, aliter *Ottakarus*, Rex Boemiae V. qui fuit Dux Auſtriae, Styriae et Karinthiae, et qui poſtea in bello a *Rudolfo*, Rege Romanorum, fuit interfectus. Item in capella ſanctorum Symonis et Iudae ad ſiniſtram manum iacet *Gutha*, Regina Boemiae, Coniunx *Wenceslai* Secundi, Regis Boemiae Sexti, quae fuit filia *Rudolfi*, Regis Romanorum. Item in eadem capella ad manum dextram in vno ſepulchro iacent duo, videlicet ad partem Orientis *Rudolfus*, Electus in Regem Boemiae, filius *Alberti*, Regis Romanorum, qui duxerat in vxorem *Elizabeth* Reginam dictam de Grecz, relictam Regis *Wenceslai* Secundi, quae Regina conſtruxit et dotauit altare illud pro anima eiusdem *Rudolfi*, qui cognominabatur *Kaſſche*. Item in eodem ſepulchro ad occidentalem plagam iacet *Rudolfus*, Dux Auſtriae et Sweuiae, frater dictae Reginae *Guthae*. Et nota, quod in quolibet ſepulchro praedicto habetur lamina plumbea ſculpta cum nominibus Principum praedictorum.

Ipſo anno Dominus Imperator celebrauit feſtum Natiuitatis Domini in Praga, ſed quia in pedibus patiebatur, Euangelium: Exiit edictum etc. in apparatu Imperiali, vt moris eſt, ipſo die legere non potuit.

1374. Anno Domini MCCCLXXIIII. in menſe Februario Dominus Imperator transtulit ſe cum tota curia ſua ad Marchiam Brandeburgenſem, vbi faciens pacem, moram traxit vſque ad menſem Auguſtum. Poſtmodum Pragam rediens cum honore, vt dignum fuit, ſuſceptus eſt.

Eodem anno Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, ſanctae Pragenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, die XVI. menſis Iulii conſecrauit Eccleſiam Fratrum Minorum ſancti Iacobi in Maiori Ciuitate Pragenſi.

Eodem anno ego *Beneſſius* etc. de mandato eiusdem Domini Archiepiſcopi, et Capituli Pragenſis, transtuli corpora infra ſcriptorum Dominorum Epiſcoporum Pragenſis Eccleſiae de locis ſuis, in quibus ſinguli ſingulariter iacuerant ſatis negligenter et humiliter, et recondidi illa corpora in nouo choro Eccleſiae Pragenſis, in loco, qui eſt inter ſepulchrum ſancti Viti, et capellam Imperialem ſanctae Trinitatis, includendo ſingula corpora in ſingulis aluéis lapideis, impoſitis ibidem intus laminis plumbeis, cum ſculptis nominibus ipſorum, ad perpetuam rei memoriam; quae ſepulchra Epiſcoporum cooperui cum marmoreis lapidibus. Et quia olym, dum rumperetur Eccleſia Pragenſis antiqua, multa Epiſcoporum corpora ſunt obruta et deperdita in crypta ſancti Gaudentii, illa recuperare non potui, ſed tantum illa, quae iacuerunt in Eccleſia per diuerſos angulos ſatis indecenter, illa collegi, et ſepeliui hoc modo: Videlicet in linea ſuperiori, quae eſt contigua ſancti Viti, incipiendo a plaga meridionali, iacent ſecundum ordinem: Primo *Seuerus*, *Gebeardus*, *Coſmas*, *Meinhardus*, *Iohannes* Primus, *Daniel*, et *Fridricus*. Item in ſecunda linea, quae eſt contigua capellae ſanctae Trinitatis,

ia-

iacent: Primo *Valentinus*, *Iohannes* Secundus, 1374.
Bernhardus, *Nicolaus*, *Iohannes* Tertius, *Thobias*, et *Gregorius*. Hii XIIII. Episcopi iacent simul in loco praedicto. In alio loco iacet Dominus *Iohannes*, Episcopus XXVII. videlicet in capella sancti Sylueſtri. Item caput *Andreae* Episcopi reconditum est in muro capellae sancti Wenceslai, super altare sanctae crucis. Item Dominus *Peregrinus* iacet ad sanctum Clementem. Item Dominus *Henricus*, alias *Brzecislaus*, Episcopus Pragensis et Dux Boemiae, iacet in Dogczano. Item Dominus *Arneſtus*, primus Archiepiscopus Pragensis, iacet in Glacz. Et sic erunt XVIIII. Episcopi, quorum corpora inveniri potuerunt. Reliquorum autem, videlicet X. corpora inuenire non potui. Et fateor, quod licet singulis nomina inscripserim in laminis plumbeis ab intus, et ab extra in laminis aereis, tamen certitudinem inuenire non potui de ipsorum nominibus omnibus, nisi de hiis, qui sequuntur, videlicet: *Meinhardus*, *Iohannes* Primus, *Valentinus*, *Bernhardus*, *Nicolaus*, *Iohannes* Tertius, *Thobias* et *Gregorius*. Aliorum nomina scripsi secundum opinionem et relationem aliorum. Sed spero, quod nomina ipsorum verius et melius scripta sunt in libro vitae, vbi requiescant in pace vna cum IX. Episcoporum corporibus, quae non potui inuenire. Et propterea et haec corpora sunt translata, ne simul cum illis successu temporis per obliuionem, dum rumperetur antiqua fabrica, per negligentiam perderentur.

Eodem anno die XVI. mensis Iulii, Venerabilis Pater, Dominus *Iohannes*, Archiepiscopus Pragensis, Apostolicae Sedis Legatus, dedicauit Monasterium Fratrum Minorum ad sanctum Iacobum in Praga.

1374. Eodem anno, idem Venerandus Pater, in die Elizabeth dedicauit Hoſpitale nouum in Hraczano, ſub honore et titulo ſanctorum Anthonii et Elizabeth, quod quidem hoſpitale ipſe Dominus Archiepiſcopus pro pauperibus Presbyteris et Clericis infirmis Pragenſis Eccleſiae, et ſuae dioceſis ibi colligendis, fundauit et dotavit magnifice.

SERIES
VCVM ET REGVM
BOEMIAE.

Dd P. Fráň. Faměrik

Cronica Principum Regni Boemiae.

Et primo, antequam fidem chriſtianam perceperunt Boemi, ſubſcriptos Duces habuerunt.

Przemysl ruſticus et paganus, vocatus de aratro, factus eſt primus Dux Boemiae, et duxit *Lubuſſam* in vxorem.

Nezamysl II. Dux Boemie et Paganus.
Mnata III. Dux Paganus.
Wogen IIII. Dux Paganus.
Vnyeslaw V. Dux Paganus.
Krzeſomysl VI. Dux Paganus.
Neklan neudatny *a*) VII. Dux Paganus.
Hoſtywicz filius eiusdem *Neklan*, VIII. Dux Paganus.

} Deus eorum Idolum Zelu.

Sequuntur Duces Chriſtiani.

Borzywoy, primus Dux chriſtianus in Boemia. Baptiſatur cum Coniuge ſua beata *Ludmilla* Martyre, anno Domini Octingenteſimo LXXXXIIII. 894.

Spitigneus, Dux II. filius *Borzywogii.*

Wratyslaus, Dux III. filius *Borzywogii.*

Sanctus *Wenceslaus*, Dux IIII. filius *Wratislai*, coronatur martyrio anno Domini Nongenteſimo XXIX. IIII. Kalendas Octobris. Primus fundator Eccleſiae Pragenſis.

Bole-

a) Id eſt *non ſtrenuus.*

967. *Boleslaus* Saeuus, filius *Wratislai*, V. Dux Boemiae. Obiit anno Domini Nongenteſimo LXVII.

Boleslaus Pius, filius *Boleslai* Saeui, VI. Dux Boemiae. Obiit anno Domini Nongenteſimo LXXXXIX. Hic creauit Epiſcopatum Pragenſem, et fundauit ad ſanctum Georgium, et in Breunowia, et in Inſula, Monaſteria.

Boleslaus filius *Boleslai*, dictus Mitis, Dux VII. Per *Mezconem*, Ducem Poloniae captus et excoecatus, obiit anno Domini MXXXVII.

Iaromyr, Dux VIII. filius *Boleslai*, per fratrem *Odalricum* excoecatus. Obiit anno Domini MXXXIX.

Odalricus, Dux IX. filius *Boleslai*. Obiit anno Domini MXLII.

Bretislaus, Dux X. filius *Odalrici*. Obiit anno Domini MXLV.

Spitigneus, Dux XI. filius *Bretislai*, dilatator Eccleſiae Pragenſis. Obiit anno Domini MLXI.

Wratislaus, Dux XII. filius *Bretislai*, fundator Eccleſiae Wiſſegradenſis. Primus Rex Boemiae. Obiit anno Domini MLXXXXIII.

Conradus, Dux XIII. filius *Wratislai*, VII menſe regni ſui moritur.

Bretislaus, Dux XIIII. filius *Wratislai*, per *Wrſowczones* in venatione occiditur anno Domini MC.

Swatopluk, Dux XV. filius *Wratislai*, per *Wrſowczones* occiditur anno Domini MC.

Borzywoy, Dux XVI. filius *Wratislai*, obiit anno Domini MCXXIIII. Hic dedit laetam curiam, alias Tyn, cum pondere et ſuis pertinentiis Capitulo Eccleſiae Pragenſis.

Wla-

Wladislaus, Dux XVII. filius *Wratislai.* Obiit anno Domini MCXXV. Hic fundauit Monaſterium in Kladruby. 1125.

Sobieslaus, Dux XVIII. filius *Bretislai.* Obiit anno Domini MCXL.

Wladislaus, Dux XIX. Rex Boemiae II. Obiit anno Domini MCLXXVI. Hic fundauit Monaſterium Strahowienſe, et Coniunx eius *Iuditha* Monaſterium in Teplicz, et pontem Pragenſem.

Sobieslaw II. Dux XX. vno anno regnauit. In exilio moritur.

Fridericus, Dux XXI. Obiit anno Domini MCLXXXVIII. filius *Wladislai.*

Conradus de Morauia, Dux XXII. Obiit in Apulia anno Domini MCLXXXX.

Bretislaus, alias *Henricus*, Dux XXIII. qui et Epiſcopus Pragenſis. Obiit anno Domini MCLXXXXVIII.

Wenceslaus, Dux XXIIII. regnauit tribus menſibus, quem expulit *Przyemysl.*

Przemysl, Dux XXV. qui et *Ottagarus.* Rex Boemiae III. Obiit anno Domini MCC. *b*) Huius Conunx *Conſtantia* fundauit Monaſterium in Tuſnowicz.

Wenceslaus, filius *Przemisl*, Rex Boemiae IIII. Obiit anno Domini MCCXXX. *c*)

Anno Domini MCCLXXXI. VI. Nonas Martii, obiit Illuſtris Virgo *Agnes*, filia *Przyemisl* dicti *Ottagari*, Regis Boemiae, et filia *Conſtantiae*, ſororis *Andreae*, Regis Vngariae, Patris ſanctae Elizabeth. Haec Virgo *Agnes* cum fratre *Wencelao*, Rege Boemiae ſupradicto, fundauit hoſpitale 1281.

in

b) Adde XXX.
c) Corrige MCCLIII.

1281. in pede Pontis Pragenſis Cruciferorum cum ſtella, et ſufficientiſſime dotauit, pro pauperibus perpetue nutriendis, et ad plenum conſtruxit. Item Monaſterium Fratrum Minorum in honorem ſancti Franciſci. Et Coenobium ſororum Ordinis ſanctae Clarae in Maiori Ciuitate Pragenſi. In quo ſub regulari habitu annis XLVI. degens, obdormiuit feliciter in Domino.

Przemysl, qui et *Ottagarus*, filius Regis *Wenceslai*, Rex Boemiae V. et Dux Auſtriae, occiſus anno Domini MCCLXXXVIII. *d)* VII. Kalendas Auguſti per *Rudolphum*, Regem Romanorum, in Auſtria. Hic fundauit Monaſterium ad ſanctam Coronam.

Wenceslaus, filius *Przemysl*, Rex Boemiae VI. fundator Monaſterii in Aula Regia. Obiit anno Domini MCCCV. XI. Kalendas Iunii.

Wenceslaus III. filius *Wenceslai*, Rex VII. Boemiae, Poloniae et Vngariae. Hic occiditur in Olomucz anno Domini MCCCVI. pridie Nonas Auguſti, ſepultus in Aula Regia.

Elizabeth Regina, mater Domini *Karoli*, obiit anno Domini MCCCXXX. IIII. Kalendas Octobris.

Iohannes, filius *Henrici*, Comitis de Luczemburga, Imperatoris, Rex Boemiae VIII. duxit *Elizabeth*, filiam Regis *Wenceslai*. Hic occiditur in bello in Francia per Regem Angliae, anno Domini MCCCXL. *e)* in die Ruffi. Hic fundauit Monaſterium Carthuſienſe prope Pragam.

Anno

d) Corrige deleto vno X.
e) Adde VI.

Anno Domini MCCC *f*) In die Bonifacii Archiepiſcopi Maguntinenſis Martyris, natus fuit Dominus *Karolus*, filius Domini *Iohannis*, Regis Boemiae. Qui eligitur in Regem Romanorum in Renſe iuxta Renum per Treuerenſem *Baldevinum*, et Colonienſem *Guilhelmum* Archiepiſcopos, ac Ducem Saxoniae. Et coronatur in Bunna Colonienſis dioceſis. Coronatur in Regem Boemiae per Dominum *Arneſtum*, primum Archiepiſcopum Pragenſem, infra Octauam Natiuitatis beatae Virginis Mariae die Dominica in Eccleſia Pragenſi. Item anno natiuitatis ſuae XL. coronatur in Imperatorem Romae in Eccleſia ſancti Petri in die Paſchae per Cardinalem Hoſtienſem de licentia *Innocentii* Papae Sexti. 1316.

Item anno Domini MCCCLXXVIII. in vigilia beati Andreae Apoſtoli, hora quaſi noctis II. obiit Sereniſſimus Princeps praedictus, Dominus *Karolus*, Imperator Romanorum, et Boemiae Rex, in caſtro Pragenſi. Et idem poſt ſolempnes exequias per ciuitatem Pragenſem habitas XVI. die a morte ipſius ſepultus honorifice, in Eccleſia Pragenſi requieſcit. Hic dum feliciter vixit, fundauit in Eccleſia Pragenſi Manſionarios, et in capella Omnium Sanctorum, et in Karlſtein collegia Canonicorum. Item in Praga monaſteria: Ad ſanctum Karolum, ad ſanctum Ambroſium, ad Sclauos, ad ſanctam Katherinam, ad ſanctam Mariam in Viridi, et ad Carmelitas. Item in caſtro Oewyn Coeleſtinos, et in Eglhem Maguntinenſis dioceſis, et in Tarencz monaſteria Parmenſis dioceſis Canonicorum regularium, et in Nornberg collegium Manſionariorum. 1378.

Hic

f) Adde XVI.

1378. Hic etiam Dominus *Karolus* insigne memoriale pro suis Successoribus et subiectis sibi ordinauit, videlicet Ecclesiam Pragensem a Maguntino Archiepiscopo eximens, in Metropolitanam erigi impetrauit per Dominum *Clementem* Papam VI. Et demum per Dominum *Vrbanum* Papam V. Archiepiscopum Pragensem Legatum natum creari procurauit, cuius legationi Ratisponensem, Bamburgensem, Misnensem, Olomucensem et Luthomislensem Ecclesias, Clerum et populum in perpetuum subdidit. Item pro eiusdem regni gloria et decore generale studium instituit, per Dominum *Clementem* Papam praedictum obtinuit, Doctores, Magistros sacrae scripturae, et artium liberalium sufficienter dotauit, quibus et domos solempnes in ciuitate Pragensi cum libertate et exemptione ab omni iure, datione, exactione, ad legendum et habitandum tribuit. Et solempne collegium capellae regiae omnium Sanctorum in castro Pragensi Magistris collegii Pragensis, cuius collegii fundator et dotator ipse Dominus *Karolus* extitit, incorporari procurauit per Dominum *Innocentium* Papam VI. Item Marchionatum Brandenburgensem, Lusaciae et Sleziae, Bauariae Ducatus, Mulberk, et terram Aduocatorum, et alia plura dominia pro regno et Regibus obtinuit Boemiae, et quaedam comparauit. Item praefatus Dominus *Karolus* incepit suis sumptibus opere magnifico de nouo Ecclesiam Pragensem aedificare, ampliare, sicut hodie apparet cernentibus, et personaliter lapidem primarium posuit assistentibus multis Principibus, Praelatis, Baronibus, et specialiter Domino *Arnesto*, tunc Archiepiscopo, et Domino *Iohanne*, tunc Episcopo Olomucensi, nunc Cardinali, et aliis multis virtutum operibus claruit, quae in Cronicis Boemiae plenius continentur.

Anno

Anno Domini MCCCLXXV. In die Quinque Fratrum obiit Dominus *Iohannes*, Marchio Morauiae germanus Domini *Karoli* praedicti. 1375.

Anno Domini MCCCLXI. III. die post festum Mathiae Apostoli natus fuit Dominus *Wenceslaus* in Nornberg, filius Domini *Karoli* praedicti. Coronatur in Regem Boemiae aetatis suae anno II. Idem Dominus *Wenceslaus* electus fuit in Regem Romanorum in Wysse *g*) super Rense anno Domini MCCCLXXVI. in die Basilidis et sociorum eius. Item eodem anno in Frankenfurd in Ecclesia sancti Bartholomaei, in vigilia Barnabae Apostoli, est nominatus Rex Romanorum per Electores infra scriptos, videlicet: Dominum *Karolum*, Imperatorem, tamquam Boemiae Regem, Dominos *Ludwicum* de Misna, Prouisum Maguntinensem, *Cunonem* Treuerensem, et *Fridericum* Colonienſem, Archiepiscopos, Ducem *Robertum* Palatinum Reni, *Wenceslaum* Ducem Saxoniae, *Sigismundum* Marchionem Brandenburgensem, germanum praefati Domini *Wenceslai* Electi Romanorum. In Octaua autem Apostolorum Petri et Pauli coronatur Aquisgrani per Dominum *Fridericum*, Archiepiscopum Colonienſem, eodem anno, quo supra, et cum eo Domina *Iohanna*, nata Domini *Alberti*, Comitis Holandiae, Hannoniae et Selandiae, ac Ducis Bauariae, praesentibus Domino *Karolo* Imperatore Romanorum, *Wenceslao*, Duce Brabantiae, praefato Comite Holandiae, et omnibus praesentibus Electoribus supradictis, nec non Domino *Iohanne*, Archiepiscopo Pragensi, qui in Cardinalem Romanae Ecclesiae fuit assumptus, et aliis multis.

g) Id est: *loco eminenti.*

1419. Obiit autem praefatus Dominus *Wenceslaus*, Romanorum et Boemiae Rex, anno Domini MCCCCXIX. feria IIII. poſt Aſſumptionem beatae Virginis Mariae, hora quaſi XXII. in nouo caſtro prope Pragam, dicto Wenczlſtein, et ſepultus in Aula Regia. Demum translatus eſt ad Eccleſiam Pragenſem, et ibidem honorifice ſepultus.

SERIES
EPISCOPORVM
ET
ARCHIEPISCOPORVM
PRAGENSIVM.

Cronica Epiſcoporum, qui fuerunt ab initio creationis Epiſcopatus Pragenſis.

Dyethmarus, Epiſcopus Pragenſis, coepit anno Domini Nongenteſimo LXVII. Obiit autem anno Domini Nongenteſimo LXIX. IIII. Nonas Ianuarii. 967.

Sanctus *Adalbertus*, Epiſcopus Pragenſis II. Obiit anno Domini MVII. *a*) Hic ſanctus Martyr res Eccleſiaſticas ſub aequa diuiſione diſtribuit in quatuor partes: Primam partem pro neceſſariis vel ornamentis Eccleſiae; ſecundam vero Canonicorum commoditatibus aſſcripſit; tertiam autem in agmina pauperum ſuperflua miſeratione expendens. Vltimae partis ſummulam pro ſuis vſibus reſeruauit.

Thedagogus, *b*) Epiſcopus Pragenſis III. Obiit anno Domini MXVII. III. Nonas Iunii.

Helikardus, Epiſcopus Pragenſis IIII. Obiit anno Domini MXXIII. VI. Idus Auguſti.

Iſo, Epiſcopus Pragenſis V. Obiit anno Domini MXXX. III. Kalendas Februarii.

Seuerus, Epiſcopus Pragenſis VI. Obiit anno Domini MLXVII. V. Idus *c*) Decembris. Hic transtulit corpora ſanctorum Adalberti, quinque Fratrum, et beati Gaudentii, germani ſancti Adalberti, de Eccleſia Gnesdenſi ad Eccleſiam Pragenſem cum Duce *Brzetislao*, filio *Odalrici*, noni Ducis Boemiae.

Gebardus, Epiſcopus Pragenſis VII. Obiit anno Domini MLXXXIX.

a) Alius deletis MVII. rectius legit DCCCCXCVII. VIII. Kal. Maii. *b*) *Tedagus* alii. *c*) Alii *Idus* omiſſo V.

1098. *Cosmas*, Episcopus Pragensis VIII. Obiit anno Domini MLXXXXVIII. IIII. Idus Decembris.

Hermannus, Episcopus Pragensis IX. Obiit anno Domini MCXXII. XV. Kalendas Octobris.

Meynhardus, Episcopus Pragensis X. Obiit anno Domini MCXXXIIII. Hic creauit quinque Praebendas Canonicales in Ecclesia Pragensi.

Iohannes I. Episcopus Pragensis XI. Obiit anno Domini MCXXXIX. VI. Idus Augusti.

Otto, Episcopus Pragensis XII. Obiit anno Domini MCXLVIII.

Daniel I. Episcopus Pragensis XIII. Obiit anno Domini MCLXVII.

Fridericus, Episcopus Pragensis XIIII. Obiit anno Domini MCLXXVII.

Valentinus, Episcopus Pragensis XV. Obiit anno Domini MCLXXXII.

Brzetislaus, qui et *Henricus*, Episcopus Pragensis
1198. XVI. Obiit anno Domini MCLXXXXVIII. Hic etiam fuit Dux Boemiae.

Daniel II. Episcopus Pragensis XVII. Obiit anno Domini MCCXIIII.

Andreas, Episcopus Pragensis XVIII. moritur in exilio propter iustitiam anno Domini MCCXXIIII.

Peregrinus, Episcopus Pragensis XIX. eodem anno per Papam destituitur. Hic sepultus ad sanctum Clementem Fratrum Praedicatorum, et idem Monasterium dilatauit.

Budylou, Episcopus Pragensis XX. Obiit anno Domini MCCXXVII.

Iohannes II. Episcopus Pragensis XXI. Obiit anno Domini MCCXX XVI. Kalendas Septembris.

Bernhardus, Episcopus Pragensis XXII. Obiit Anno Domini MCCXXXIX.

Nicolaus, Episcopus Pragensis XXIII. Obiit anno Domini MCCLVIII. Kalendas Februarii.

Iohannes III. Epiſcopus Pragenſis XXIIII. Obiit anno Domini MCCLXXVII. 1277.

Thobias, Epiſcopus Pragenſis XXV. Dominus in Bechyn. Obiit anno Domini MCCLXXXXVI. Kalendas Martii. Hic incaſtellauit Eccleſias Parochiales in Rudnicz, in vtroque Tyn, in Rokiczano, in Rzieczicz, in Stiepanow, in Krzywſudow, in Wyskytna et in Heracz *d*) et libros miſſales, et alios quam plures donauit Eccleſiae Pragenſi.

Gregorius, Epiſcopus Pragenſis XXVI. Obiit anno Domini MCCCI. Hic praedicauit ad vulgum in Eccleſia Pragenſi vſque ad mortem.

Iohannes IIII. Epiſcopus Pragenſis XXVII. Obiit anno Domini MCCCXLIII. in Octaua Innocentum. Hic fundauit et dotauit Monaſterium in Rudnicz, et pontem lapideum ſumptuoſe conſtruxit de novo. Caſtra duo ſolempnia, Hersſtein videlicet et Kyersperk, alias Supyehora, propriis emit ſumptibus, Eccleſiae Pragenſi pro Epiſcopatu intabulari obtinuit praedictus Dominus *Iohannes*, Epiſcopus vltimus. Item tres Praebendas Canonicales in Eccleſia Pragenſi, ac altaria ſanctorum Laurentii, Silueſtri, et ſanctae Marthae creauit et dotauit. 1343.

Arneſtus, Archiepiſcopus Pragenſis I. obiit anno Domini MCCCLXIIII. die Dominico, hora quaſi veſperorum, vltima menſis Iunii. Obiit autem in caſtro ſuo in Rudnicz anno ordinationis ſuae XXII. Hic propriis ſumptibus ad plenum aedificauit, conſtruxit, dotauit Monaſteria, et libris et ornatibus et iocalibus ad plenum furniuit. *e*) Primum Monaſterium in Glacz in honorem ſanctae Mariae, in quo locauit Canonicos regulares Ordinis ſancti Auguſtini, vbi etiam corpus ipſius requieſcit in Eccleſia Parochiali ſanctae Mariae propter miraculum, quod in eadem Eccleſia vide- 1364.

d) Alius *Heraleez*. *d*) Id eſt *prouidit* a gallico *fournir*.

1364. rat, iuuenis Clericus existens, prout alias hoc descriptum est manu propria ipsius Domini *Arnesti*, et habetur in Monasterio eius. Secundum in Iermyr, tertium in Saczka, quartum in Rokiczano eiusdem Ordinis, vt supra. Item hospitale in Broda Boemicali similiter construxit et dotavit pro infirmis et debilibus nutriendis. Item hospitale in Libano oppido patrimonii sui construxit et dotauit *f*). Hic etiam Dominus *Arnestus* mediam Baroniam in Rozental, datis ad certas vitas bonis, mensae Episcopalis in Poczedielicz, Episcopatui Pragensi tempore sui regiminis incorporari et vniri obtinuit. Castrum in Przibramo de nouo construxit. Aedificia et muros in castris Episcopatus reformauit. Officium correctionis Cleri, ad reprimendam insolentiam Clericorum, instituit. In domo sua eundem Correctorem cum Notario et famulo tenuit, de necessariis prouidendo opportunis. Hic etiam fecit statuta Ecclesiae Pragensis et Prouincialia.

Iohannes V. Archiepiscopus Pragensis II. Apostolicae vero Sedis Legatus Primus, coepit anno Domini MCCCLXIIII. in die beati Galli in Ecclesiam Pragensem, et in possessionem Archiepiscopatus inductus. Et praefuit feliciter Ecclesiae praedictae annis XIIII. Demum in fine anni decimi quarti, VI. feria Quatuor temporum, qua cantatur: Venite, adoremus, quae fuit dies XVII mensis Septembris, per Dominum *Vrbanum* Papam VI. in Cardinalem creatus, cui etiam capellum Cardinalatus fuit missum per Dominum *Pileum*, Cardinalem Rauenatem, de anno Domini MCCCLXXIX. de mense Martio die VI. eiusdem mensis, in Dominica Reminiscere, hora quasi

f) Hic definit catalogus Episcoporum Pragensium in codice membranaceo, in quo Cosmae et Francisci Chronica continentur.

ſi veſperorum, per eundem Cardinalem traditum 1379.
extra ciuitatem Pragenſem in ſtrata montis Chutnae, circa cumulum lapidum, qui a vulgaribus dicitur Pauſa ſiue Requies beati Wenceslai Martyris, in praeſentia Sereniſſimae Prircipis Dominae *Elizabeth*, Imperatricis Romanorum, et copioſa multitudine Baronum, Nobilium regni, Praelatorum, Magiſtrorum, Scholarium ſtudii Pragenſis, et multorum aduenarum partium diuerſarum. Hic Dominus *Iohannes* Archiepiſcopus II. conſtruxit et dotauit capellam in Eccleſia Pragenſi, in honorem ſancti Erhardi Confeſſoris, et Ottiliae Virginis, et in eadem elegit ſepulturam. Item in caſtro Pragenſi ad Omnes Sanctos Miſſam de beata Virgine inſtituit cantari per Miniſtros ſingulis diebus ante Primam, quam ſufficienter dotauit. Et etiam praedictam Eccleſiam omnium Sanctorum quam plurimum ſumptibus ſuis de nouo conſtruxit. Item hoſpitale ſub Wyſſegrado in honore ſanctae Mariae de humilitate pro pauperibus. Et in Hradczano ſanctorum Anthonii et Elizabeth pro Clericis infirmis ciuitatis et dioceſis Pragenſis, quae hoſpitalia dotauit optime. Item in Eccleſia Wratislauienſi, et Collegio Budiſnenſi procurauit teneri ſolempniter feſtum ſancti Wenceslai cum hiſtoria propria, et Miſſae officio, et die ipſo certos cenſus perpetuo pro Eccleſiis praetactis inter Canicos et Miniſtros ipſo die diuino officio intereſſentes, diuidendos comparauit et incorporauit, de conſenſu Domini Imperatoris *Karoli*. Hic oppidum Hoſtka, caſtrum Helffenburg cum ſuis pertinentiis emit pro menſa Epiſcopali. Muros circulares dicti caſtri, et alia aedificia de nouo conſtruxit, domum Epiſcopalem in Minori Ciuitate Pragenſi, turres et quaſi omnia commoda conſtruxit et reformauit. Cui etiam, tamquam Legato Nato, Imperator oppidum

Lir,

1379. Lir *g*), in Bauaria donauit dioceſis Ratisponenſis, et Eccleſiam in Bernaw in Ius patronatus. Hic etiam Dominus Cardinalis turrim in Rudnicz perfecit, omnia commoda cum caeteris de nouo conſtruxit et erexit ſumptuoſe. Nouam ciuitatem in loco vinearum ex oppoſito caſtri inſtituit a fundamento, prout patet intuenti. Item fontem pro vſu incolarum praedictae Nouae Ciuitatis fieri mandauit. Poſt quae et alia multa virtutum opera, quae hic cauſa breuitatis obmittuntur, de anno Domini MCCCLXXXX. perceptis Sacramentis, videlicet ſalutari viatico Corporis Dominici, extrema Vnctione, in fidei vnitate die XIIII. menſis Ianuarii, hora noctis XI. vel quaſi, plenus dierum migrauit ad Dominum, videlicet anno aetatis ſuae LXXVII. vel circa, vt ipſemet ſana mente ſuis Secretariis ſaepius expreſſit.

Item poſt creationem praefati Patris, Domini *Iohannis*, in Cardinalem, de anno, quo ſupra, videlicet MCCCLXXVIII. die XX. menſis Octobris, translatus eſt Reuerendus Pater, Dominus *Iohannes*, natus Domini *Pauli* de *Ieuczenſteyn*, fratris praefati Domini Cardinalis, de Eccleſia Miſnenſi ad Eccleſiam Pragenſem per praefatum Dominum *Vrbanum* Papam VI. ac receptus concorditer per Capitulum Pragenſe, Clerum et populum, et miſſus in poſſeſſionem dicti ſui Archiepiſcopatus Pragenſis de anno Domini MCCCLXXIX. die menſis Martii *b*), qui rexit eandem Eccleſiam annis fere XVII. Qui quidem Archiepiſcopus pro honore eiusdem Eccleſiae fecit et ordinauit ſuis propriis ſumptibus, impenſis, laboribus et expenſis Concilium, Synodum Generalem, ad omnes

g) In diplomate donationis legitur *Lub.* *h*) Hic definit Catalogus Epiſcoporum Pragenſium a Cl. Dobnero e codice Stehlikiano editus.

nes Suffraganeos, Epiſcopos, ac per dioceſes eorum, ad vniuerſos Cleros nuncium dirigendo. Ibique cum Epiſcopis, Praelatis et Clericis aliquot diebus continuando, prout decuit, ſumptibus procurauit eosdem. Item pro honore eiusdem ſanctae Pragenſis Eccleſiae, et ad laudem Dei, et eius Genitricis benedictae, et ſanctorum Patronorum, idem Dominus Archiepiſcopus in dedicatione chori, quem per ſe ipſum conſecrauit et dedicauit, ſolempnitatem magnam faciens, plures Principes ſeculares et eccleſiaſticos, Praelatos et Clericos, et pauperum multitudinem copioſam propriis ſumptibus honorifice et habundanter reficiendo. Nec minus et ipſam Dominam Reginam Romanorum et Boemiae cum omni ſua familia ibidem inuitando, lautius procurauit. Item pro laude Altiſſimi, et ſanctorum Patronorum, et Eccleſiae dictae Pragenſis principaliter, idem Dominus Archiepiſcopus iterum ponendo primarium lapidem in fundamento corporis ſuae Eccleſiae, prout decebat et expediebat ad ſolempnitatem, et pro ſolempnitate huiusmodi feſtiuitatis, Dominum Regem Romanorum et Boemiae cum omni ſua clientela et familia, ac Dominam Reginam vna cum familia et familiaribus vtriusque ſexus, aliosque Principes, Barones, Nobiles, Milites, Praelatos et Clericos vna cum multis centenis pauperum, in curia ſua Pragenſi ipſo die habundanter, lautius, honorifice et decenter hoſpitando, magnis ſumptibus et expenſis procurauit, honorem ſuae Eccleſiae continue impendendo. Item, cum ipſe Dominus Archiepiſcopus ea, quae pro laude Dei et Sanctorum eius fuerunt, et pro honore ſuae ſponſae, dictae Pragenſis Eccleſiae, impenderentur, et exponerentur lautius et decenter, parui penderet, nec eſt ab ipſo Archiepiſcopo hoc ipſum, praeſertim quod fuit et factum eſt pro honore et laude

— de Dei impenſum, tantum penſandum, quantum tam magna, tam grauis et tam grandis iniuria, quae fuit ipſi Archiepiſcopo et ſuae Eccleſiae illata ſaepius, prout notorium eſt et manifeſtum toti Regno. Nam tantum ſpolium et praedatio ipſius Eccleſiae fuit facta et commiſſa, quod ipſe Archiepiſcopus, poſtquam fuiſſet iniurioſe depraedatus, bene quinque annos continuos a ſuis cenſitis pauperibus villis et oppidis cenſum exigere non valuit, ymo oportebat eundem Archiepiſcopum adhuc ſuis pauperibus villanis ſaepe et ſaepius de propria burſa per multa tempora ſuffragari, ita, quod in prima ſpoliatione et praedatione fuit vltra V. millia ſexagenarum dampnificatus.

Item ab eo tempore, quo prouiſum fuit eidem Domino Archiepiſcopo de Eccleſia Pragenſi, quia magnum ſtatum, honorificum et decentem, ex multis Militibus, Clientibus et ſeruis tenuit, vſque in praeſens. Quem etiam ſtatum in multitudine ſuarum expenſarum vix aliquis Praedeceſſorum ſuorum habuit et tenuit, prout ipſe Archiepiſcopus modernus vſque tenuit. Et licet multas et graues iniurias tempore gwerrarum de anno quolibet ſuſtinuit de multis millibus ſexagenarum, fere ad XX. M. ſexagenarum, ymo multo plus, ſtipendiariis, ſeruis ſuis, Militibus et Clientibus ipſum Archiepiſcopum ab eo tempore vſque ad praeſens prouidere oportebat pecunia in parata. Item quia etiam ipſe Dominus Archiepiſcopus a tempore ſuae prouiſionis pro aedificiis caſtrorum ſuorum et Eccleſiae ſuae multa impendit de quolibet anno, et primo in Gayersperk bene ad MD. ſexagenas. Item in Helffenburg ad quingentas groſſorum. Item Tyn-Horſſowienſi, et in Herſtein ad quingentas ſexagenas. Item in Przibram ad trecentas ſexagenas groſſorum. Item in curia noſtra Pragenſi ad ducentas ſexagenas groſſorum.

Item

Item in Krzywſudow ad centum ſexagenas groſſo- 1397.
rum. Hocque, quod expoſitum eſt et impenſum, cuilibet conſideranti et intuenti poterit apparere ſupra caſtra et loca praedicta. Super vero aliis dampnis, quae eidem contigerunt Domino Archiepiſcopo in equis et caeteris, non valuit idem Archiepiſcopus bona aeſtimatione computare. Tandem anno Domini MCCCLXXXXVII. reſignauit Archiepiſcopatum Domino *Wolframo*, ſororino ſuo, et ipſe eodem anno equitauit curiam Romanam in negotiis Eccleſiae Pragenſis, et ibi per Papam *Bonifacium* IX. ad Patriarchalis culmen Alexandrinae dignitatis euectus. Qui Dominus Patriarcha ſequenti anno migrauit ad Dominum in curia Romana, et ibidem honorifice eſt ſepultus. Pius Pater pauperum, Clericorum et aliorum pauperum hominum, nec non viduarum, cuius anima requieſcat in pace.

Wolframus, Archiepiſcopus Pragenſis IIII. Apo- 1402.
ſtolicae Sedis Legatus III. Obiit anno Domini MCCCCII. die ſancti Sigismundi in curia ſua Pragenſi, qui nihil boni pro honore ſponſae ſuae, Eccleſiae Pragenſis, propter gwerras facere potuit, ſed et bona patrimonii ſui ſuper ſtipendiarios pro defenſione Eccleſiae Pragenſis impendit. Et hoc eſt manifeſtum.

Nikolaus Puchnik, tunc Vicarius in Spiritualibus, electus concorditer per Capitulum Pragenſe, et confirmatus per Papam *Bonifacium* IX. Sed ante conſecrationem, et priusquam introductus fuit in poſſeſſionem Archiepiſcopatus, migrauit ad Dominum in caſtro Podiehus Domini de *Rozemberg*, et ſepultus in caſtro Pragenſi anno Domini MCCCCII.

Sbinco de *Hazmburg*, Archiepiſcopus Pragen- 1411.
ſis VI. Apoſtolicae Sedis Legatus V. mortuus eſt in Prespurg anno Domini MCCCCXI.

Alii-

1412. *Albicus*, Archiepiſcopus Pragenſis VII. Apoſtolicae Sedis Legatus VI., coepit anno Domini MCCCCXII. Eodem anno reſignauit Archiepiſcopatum *Conrado* de *Weſtfal*, pro tunc Epiſcopo Olomucenſi, qui antea fuit Subcamerarius Regni Boemiae, et Magiſter monetae in montibus Cuthniis. Et praefatus *Albicus* acceptauit Praepoſituram Wyſſegradenſem loco Archiepiſcopatus Pragenſis, quam Praepoſituram tunc tenuit Dominus *Wenceslaus*, Patriarcha Antiochenus, qui loco illius Praepoſiturae acceptauit Epiſcopatum Olomucenſem. Mirabile cambium fecerunt! Sed vtinam illud cambium eſſet ſine ſymonia maxima.

Archidiaconatus Pragenſis habet CCCXII. Eccleſias.

Bechinenſis	CCXLVIII.
Pilznenſis	XCIIII.
Boleslauienſis	CLIX.
Gurimenſis	CCLXXIII.
Gradicenſis	CCCLXXV.
Horſſowienſis	XLVIII.
Zacenſis	CLXXXI.
Belinenſis	LXX.
Luthomericenſis	LXXVI.

Summa huius Mille Octingenta XXXVI. demptis Monaſteriis et Capellis.

CHRONICON BOHEMICVM ANONYMI.

Ab An. MCCCXXXVIII. vſque ad An. MCCCCXXXII.

1338. Leta od Narozenye bozie MCCCxxviii. shorzal geſt koſtel vſwateho Ondrzegie vprazie, yſpuſſku, wnyzs tyelo bozie bylo, ale tyelo bozie neshorzalo.

Tehozs leta przeletyaly ſu kobylky do zemye.

1340. Leta bozieho MCCCxl. Kral Jan Czeſky oſlnul.

1341. Leta MCCCxli. kraſter (Kláſſter) Cartuſkych zalozen geſt kralem Janem.

1342. Leta MCCCxlii. byl hlad w Czechach.

Leta tehozs prazky moſt zborzyl ſie geſt.

1343. Leta MCCCxliii. zalozena geſt capla (Kapla) wſſyech ſwatych nahradie prazkem.

Leta tehozs knyez Jan z drazycz byſkup pragenſis xxvii. vmrzel geſt, kterzyſſ zalozyl geſt klaſſter a ſpital a Moſt w Rudnycy. Azgednal geſt, take hrob ſtrziebrny ſwateho Woytyecha w koſtele prazkem, ohrobem ſwateho Wawrzyncze w Capie geho. Azgednal geſt take czternadczt kop gr. platu wyeczsnych dwadczat (dwacet) konownykom rzeholnym w Rudnyczy. Vſtawyl take dom Arczybyſkupow vprazie.

1344. Leta MCCCxliiii. volen geſt Arneſt prwny Arczybyſkup prazky, kterzyſſ leſſy (leži) w Cladſku.

Leta tehozs zalozen geſt koſtel prazky nowy a poſwyeczen geſt.

Leta tehozs zgednany ſu Manczieonarzy w Coſtele (Koſtele) prazkem.

Leta tehozs prwy byſkup lytomiſſſky potwrzen geſt.

1345. Leta MCCCxlv. Kral Jan lezal geſt przed Mieſtem Cracowſkym, a byl geſt nedoſtatek welyky chleba vmyeſtye.

Leta

Anno a Natiuitate Domini MCCCXXXVIII. 1338.
combuſta eſt Eccleſia ad ſanctum Andream Pragae vna cum pyxide, in qua corpus Chriſti fuerat, corpus Chriſti non eſt combuſtum.

Eodem anno aduolarunt locuſtae in regionem.

Anno Domini MCCCXL. *Iohannes*, Rex Boe- 1340.
miae, lumen oculorum amiſit.

Anno MCCCXLI. Clauſtrum Carthuſianorum 1341.
fundatum eſt a Rege *Iohanne*.

Anno MCCCXLII. Fuit fames in Bohemia. 1342.
Eodem anno pons Pragenſis corruit.

Anno MCCCXLIII. Fundata eſt capella Omnium 1343.
Sanctorum in caſtro Pragenſi.

Eodem anno Sacerdos, *Iohannes* de *Drazicz*, Epiſcopus Pragenſis XXVII. mortuus eſt, qui fundauit Monaſterium et hoſpitale ac pontem Rudnicii. Et curauit fieri ſepulchrum argenteum ſancti Adalberti in Eccleſia Pragenſi, vna cum ſepulchro ſancti Laurentii in capella eius. Procurauit etiam quatuordecim ſexagenas groſſorum cenſus perpetui viginti Canonicis regularibus Rudnicii. Aedificauit quoque domum Archiepiſcopalem Pragae.

Anno MCCCXLIIII. Electus eſt *Arneſtus*, pri- 1344.
mus Archiepiſcopus Pragenſis, qui quieſcit Glacii.

Eodem anno fundata eſt Eccleſia Pragenſis nova, et conſecrata eſt.

Eodem anno inſtituti ſunt Manſionarii in Eccleſia Pragenſi.

Eodem anno primus Epiſcopus Litomiſslenſis confirmatus eſt.

Anno MCCCXLV. Rex *Iohannes* obſedit ciuitatem 1345.
Crakouiam, et fuit magnus defectus panis in ciuitate.

1346. Leta MCCCxlvi. Karel Markrabye Morawſky wo-
len geſt Rzimſkym kralem xxvj. dne myeſyecze lyſtopa-
du.

Leta tehoz kral Jan zabyt geſt w Angli v vigilgi
ſwateho Ruffa.

1347. Leta MCCCxlvii. narodila ſie geſt Alzbyeta Czieſa-
rzna Rzimſka a kralowna Czeſka.

Leta tehoz vczenye prazke potwrzeno geſt, a mi-
ſtywe Leto zmycnylo ſye.

Leta tehoz karel Corunowan kralowſtwy Czeſke-
mu.

Leta tehoz Ludwyk Baworſky, geſto ſye czynyl
Rzimſkym kralem, vmrzel geſt.

Leta tehoz zalozeny Carmelyty vprazie.

Leta tehoz zalozen klaſter ſlowanſky.

1348. Leta MCCCxlviij. zalozeno geſt nowe Mieſto Praz-
ke kralem Carlem.

Leta tehoz ſtalo ſie geſt zemye hnutye.

1349. Leta MCCCxlix. vmrzela geſt Blancze.

Leta tehoz oddana gaſt Anna kraly karlowy.

Leta tehoz kral karel dal Morawu Janowy bra-
tru ſwemu.

Leta tehoz mnozy lide zachynuly (zahynuli) ſu v-
hory.

Leta tehoz Mrſkaczy chodyly pozemy.

Leta tehoz Rzyſka ſwatoſt przyneſena do prahy.

1353 Leta MCCCliij. Kral karel Czeſky korunowan geſt
k Czieſarſtwy.

Leta tehoz bylo geſt myloſtiwe leto w Rzymye.

Leta tehoz zalozen geſt klaſter ſwateho Karla nano-
wem myeſtye prazkem.

Leta

Anno MCCCXLVI. *Karolus*, Marchio Moraviae, electus est Rex Romanorum XXVI. die mensis Nouembris. 1346.

Eodem anno Rex *Iohannes* occisus est in Anglia, in vigilia sancti Rufi.

Anno MCCCXLVII. Nata est *Elizabetha*, Imperatrix Romanorum et Regina Bohemiae. 1347.

Eodem anno studium Pragense fuit confirmatum, et annus iubilaeus mutatus est.

Eodem anno *Karolus* coronatur ad Regnum Bohemiae.

Eodem anno *Ludwicus* Bauarus, qui se gessit pro Rege Romanorum, mortuus est.

Eodem anno fundati sunt Carmelitae Pragae.

Eodem anno fundatum est Monasterium Slauorum.

Anno MCCCXLVIII. fundata est Noua Ciuitas Pragensis a Rege *Karolo*. 1348.

Eodem anno factus est terrae motus.

Anno MCCCXLIX. mortua est *Blanca*. 1349.

Eodem anno matrimonio iuncta est *Anna* Regi *Carolo*.

Eodem anno *Carolus* tradidit Morauiam *Iohanni* fratri suo.

Eodem anno multi homines perierunt ad montem (Cuthnensem)

Eodem anno Flagellatores vagabantur per regionem.

Eodem anno Clenodia Imperialia allata sunt Pragam.

Anno MCCCLIII. *Carolus* Rex Boemiae coronatus est ad Imperium. 1353.

Eodem anno fuit annus iubilaeus Romae.

Eodem anno fundatum est Monasterium sancti Caroli in Noua ciuitate Pragensi.

1359. Leta MCCCLix. byly ſu wody welyke vprazie w vteri przednarozenym Matky bozie.

1361. Leta MCCCLxi. narodyl ſie geſt kral Waczlaw Rzimſky a Czeſky w Noremburcze w vteri po ſwatem Matyegy nate ſylabye Am.

Leta tehoz byl geſt hlad welyky w Czechach.

1362. Leta MCCCLxii. Anna Matka krale Waczlawowa vmrzela geſt.

Leta tehoz byla potopa vprazie wnediely przedm a ſopuſtem.

1365. Leta MCCCLxv. przyneſeno geſt tyelo ſwatcho Sigmunda doprahy z Mieſta Aganenſkeho v vigilgi ſwatcho Waczlawa.

1366. Leta MCCCLxvi. na Rodyla ſie geſt prworozena anna kralowa Anglyczka.

1368. Leta MCCCLxviii. na Rodyl fye geſt Sigmund kral vherſky.

1370. Leta Tyſycz CCCLxx. na Rodyl ſie geſt knycz Jan Markrabye luzyczky.

Leta tehoz byly ſu wody welyke druhy den po Matcze bozy na nebe wzety.

1373. Leta MCCCLxxiij. Slany Mieſto ſhorzalo geſt ſ mnoho tyſycz lydu na ſwateho pankraczie.

1374. Leta MCCCLxxiiij. vmrzel geſt Milicz kazatel.

1378. Leta MCCCLxxviij. Shorzal geſt ſpytal vprazie krzyzownykom ſhwiezdu podle moſtu w nedielu przed aduentem.

Leta tehoz v Wigilgi ſwateho Ondrzegie vmrzel geſt Kray Jaſnyeyſſie knyezzie karel Rzimſky Czieſarz a Czeſky kral.

1380. Leta MCCCLxxx. vmrzel geſt Jan Cardinal Arczy- byſkup praſky druhy nanowe leto.

Leta

Anno MCCCLIX. fuit magna aquarum inundatio Pragae feria III. ante Natiuitatem beatae Virginis. 1359.

Anno MCCCLXI. Natus eſt *Wenceslaus*, Romanorum et Boemiae Rex Norinbergae, feria III. poſt feſtum ſancti Mathiae in ſyllaba Am. 1361.

Eodem anno fuit fames magna in Bohemia.

Anno MCCCLXII. *Anna*, Mater Regis *Wenceslai*, mortua eſt. 1362.

Eodem anno fuit inundatio Pragae die Dominico ante carnis priuium.

Anno MCCCLXV. allatum eſt corpus ſancti Sigismundi Pragam de ciuitate Aganenſi in vigilia ſancti Wenceslai. 1365.

Anno MCCCLXVI. nata eſt primogenita *Anna*, Regina Angliae. 1366.

Anno MCCCLXVIII. Natus eſt *Sigismundus*, Rex Hungariae. 1368.

Anno MCCCLXX. Natus eſt Princeps *Iohannes*, Marchio Luſatiae. 1370.

Eodem anno fuit magna aquarum inundatio ſecunda die poſt aſſumptionem beatae Virginis.

Anno MCCCLXXIII. ciuitas Slanenſis combuſta eſt cum multis millibus hominum, die ſancti Pancratii. 1373.

Anno MCCCLXXIV. Obiit *Militius* Conciouator. 1374.

Anno MCCCLXXVIII. combuſtum eſt Pragae hoſpitale Cruciferorum cum ſtella ad pontem, die Dominico ante Aduentum. 1378.

Eodem anno in vigilia ſancti Andreae mortuus eſt Sereniſſimus Princeps, *Carolus*, Romanorum Imperator et Boemiae Rex.

Anno MCCCLXXX. mortuus eſt *Iohannes* Cardinalis, Archiepiſcopus Pragenſis II. in die Circumciſionis Domini. 1380.

1385. Leta tehoż byl geſt mor welyky vprázie a w Czechach, od bozieho ſtupenye az kſwatemu Wacżlawu.

1386. Leta MCCCLxxxvi. bratrzie zronuły ſu v Morawye podhoru ſwatcho Ypolyta.

1387. Leta MCCCLxxxvii. vmrzela geſt Johanka kralowa prwa krale Wacżlawowa Rzimſkeho a Czeſkeho krale żena.

Leta tehoż Sigmund ſyn Cżieſarzow Karlow Coruonowan k kralowſtwj vherſkemu.

1389. Leta MCCCLxxxix. Zide vprazie ſu zbyty a ſpaleny na welyku nocz w nedyely.

1390. Leta MCCCLxxxx. bylo geſt myloſtywe leto w Rzymye.

1396. Leta MCCCLxxxxvj. na letnycze zbyty ſu pany na Carlſteynye pan ſtyepan, Stephan poduſſka, pan Strnad, Markolt myſtr ſwato-Morſky.

1392. Leta MCCCLxxxxij. byla potopa vprazie ten den przed ſwatym Mykulaſſem.

1393. Leta MCCCLxxxxiij. vmrzela geſt Alżbyeta Cżieſarzowna wdowa Karla Cieſarzie vprazie przed Maſopuſtem.

Leta tehoż vtopen geſt ſlawny Doctor Johanek vicarz Arcżybiſkupa prażſkeho s Moſtu.

Leta tehoż byla ſuchota welyka w Czechach na pamyet toho Doctora.

1394. Leta MCCCLxxxxiiij. bylo geſt nawyſſehradye Miloſtywe Leto a tu geſt ſlyt zwon welmy welyky.

1394. Leta MCCCCLxxxxiiij. Kral Wacżlaw Rzymſky a Czeſky byl geſt yat od ſwych panow Czeſkych, abyl drżan xvii. nedyel, ale wyſſwobożen geſt kniezem Janem Markraby lużiczkym a Procopem Markraby Morawſkym a byl geſt yat vpatek naſwateho Staniſlawa v Berunye.

Leta

Eodem anno fuit peſtis magna Pragae et in Boe- 1380.
mia ab Aſcenſione Domini vſque ad feſtum S. Wenceslai.

Anno MCCCLXXXVI. Fratres ſubmerſi ſunt in 1386.
Morauia ſub monte ſancti Hyppoliti.

Anno MCCCLXXXVII. Obiit *Iohanna*, prima Re- 1387.
gina *Wenceslai* Roman. et Boemiae Regis Coniunx.
Eodem anno *Sigismundus*, filius *Caroli* Imperatoris, coronatus eſt in Regem Hungariae.

Anno MCCCLXXXIX. Iudaei Pragae ſunt oc- 1389.
ciſi et combuſti die Dominico Paſchatis.

Anno MCCCLXXXX. Fuit annus iubilaeus Romae. 1390.

Anno MCCCLXXXXVI *a*) In feſto Pentecoſtes 1396.
interfecti ſunt Domini in arce Carlſtein: Dominus *Stephanus*, *Stephanus Poduſska*, Dominus *Strnad*, *Marcoldus*, Magiſter Ordinis Melitenſis.

